



UANL

DAD AUTÓNOMA DE NUEVO  
CCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三

卷之三


卷之三

卷之三


卷之三

卷之三

A.D.



1080026414



COLLECTIO  
OPUSCULORUM  
DE VENERABILI SERVO DEI  
**GREGORIO**  
**LOPESIO**

PER PATREM MAGISTRUM  
FR. BERNARDINUM MEMBRIVE  
PROVINCIALEM SCOTIAE ORD. PRÆD.

Sacrorum Rituum Consultorem, & hujus Causæ  
Regium Postulatorem

DICATA  
**FERDINANDO VI.**  
REGI CATHOLICO




UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ROMÆ, ex Typographia Antonii de Rubeis. MDCCCLX.

SUPERIORUM PERMISSU.


UNIVERSIDAD DE NUEVO LEÓN  
Biblioteca Virtual y Digital



BX4705

- L73

• O U G H T D O W N I N G



FERDINANDO VI.  
HISPA NIARUM REGI  
CATHOLICO

# HISPA NIARUM REGI

CATHOLICO

卷之三十一

ER. BERNARDINUS MEMBRIVE

D. N. M. O. E.



**D**um primum, FER-  
DINANDE REX,  
omnia, quæ ad V. GREGORII LO-  
PESII HISPANI sanctitatem, atque  
a 2 in-

R

002893

innocentiam morum demonstran-  
dam pertinent , singulari volumine  
comprehendere, atque in vulgus ede-  
re constituisse , non sicut mibi diu  
cogitandum , cuius id nomini inscri-  
bi , cuiusque auspiciis in manus ho-  
minum prodire oporteret . Nam , ut  
cetera præteream , due potissimum  
causæ magnopere me bortantur , ut  
hoc opus , quod in Hispanorum glo-  
riam quodammodo redundare pote-  
rat , MAJESTATI TUÆ consecran-  
dum , dedicandumque judicarem .  
Sive enim maxima illa beneficia ,  
quibus Pater tuus , Tuque ipse ma-  
ximus maximi Regis filius , me ,  
meosque omnes exornatos esse volui-  
stis , sive singulare studium , quo  
causa Canonizationis LOPESII

Pa-

Parris tui exemplo promoves , at-  
que tueris considero , res ipsa po-  
scere mibi videtur , ut aliquam pu-  
blice dem , & tui erga sanctissi-  
mum virum studii , & grati ani-  
mi , atque observantiae erga Te meæ  
significationem . Namque Pater tu-  
us sapientissimus Rex me ex occi-  
dentalibus Indiis redeuntem , non  
tantum Regii Prædicatoris munere  
auxit , libenterque quoties concio-  
nem habui summa clementia audi-  
vit , verum etiam supremo India-  
rum Senatui , ut me causæ LO-  
PESII apud Romanum Pontifi-  
cem Procuratorem institueret , in  
mandatis dedit ; tantumque consi-  
lio , commendatione , opibus juvit ,  
ut quod hæc causa jam fere in-  
ter-

termissa eo deducta sit , ut bre-  
vi exitum habitura videatur , id  
omnes illius diligentia , pietatique  
acceptum referri oportere arbitren-  
tur . Hoc tu idem praestas , REX  
CATHOLICE , egregius imitator  
Patris , majorumque tuorum . Et  
enim ut mittam de meis propin-  
quis dicere , quos novis semper ho-  
noribus auges , ut qui Josephum  
Gargiam Cauritanæ Ecclesiæ præ-  
ficiendum curaveris , illud sane  
maximum , quod plane intelligens  
Christiano Principi , nisi tuer-  
dæ , amplificandæque Religionis ,  
non alium esse cursum ad veram ,  
solidamque gloriam , sic Regna Hi-  
spaniarum moderaris , ut non tua ,  
sed unius Religionis , communisque

bo-

boni causa regnare videare . Jam  
vero acceperas Regnum acerrimi  
belli imperu , quo universa fere  
Europa conflagrarat , afflictum ,  
multisque calamitatibus , quas tam  
diuturna , obstinataque arma con-  
sequi necesse erat , perculsum , at-  
que in tanto animorum ardore ,  
armorumque , ac in tanta rerum  
omnium perturbatione , adeo pru-  
dentia , consilio , fide , auctoritate  
valuisti , ut brevissimo tempore non  
modo Europæ Principum dissidia  
composueris , pacem , tranquillita-  
temque Hispaniis restitueris , uno  
verbo , universa tetricimi belli vul-  
nera curaveris , ut ne vestigium  
quidem illius ullum in Hispaniis  
reliquum sit , verum etiam multis ,  
ma-

magnisque beneficiis Regnum au-  
xeris , ditaveris , exornaveris ita ,  
ut nemini bac ætate vel ubertate  
agrorum , vel facilitate commea-  
tus , vel mercaturæ studio , vel li-  
beralibus artibus , vel severioribus  
disciplinis , vel omni laudis gene-  
re secundum habeatur . Nam hoc  
tuo tempore & mercaturæ questuo-  
siores in Hispanias invectæ sunt ,  
& viæ stratae , ac per difficillima  
Guadaverensium montium juga du-  
cta ; ex qua re consequutus es , ut  
alias Regni provincias pecunia ,  
alias annona juvares . Quin etiam ,  
cum accepisses , aliquas Regni pro-  
vincias annona laborare , infinitis  
propemodum largitionibus eorum  
inopiam levasti , tuoque exemplo ,  
at-

atque etiam imperio alios , ut idem  
facerent , induxisti ; Quæ res in  
causa est , cur omnes Parentis  
potius te , quam Regis loco haben-  
dum putent . Hec , & alia pene  
infinita commoda , quæ ex te in  
Hispanorum rem publicam , pri-  
vatamque manarunt , ampla , il-  
lustria , singularia sunt , ut vix  
non dicam oratione exornari , ve-  
rum ne dicendo quidem recenseri  
possint . Sed tamen sunt alia ma-  
jora . Nam in Regibus pacis , bel-  
lique scientia , ac recta regnandi  
ars , si a religione , pietateque se-  
junctæ sunt , speciem sane gloriae ,  
ac vulgi admirationem habent ,  
veram , solidam , sempiternamque  
gloriam non habent . Accidit enim

aliquando , ut qui propter Rem-  
publicam bene gestam optimi Re-  
ges habentur , iudem in omni ge-  
nere vitiorum , quibus sibi solis no-  
ceant , miserrime voluntur . In  
Te autem uno exornando , ita na-  
tura , & gratia mirifica quadam  
confessione certarunt , ut ad tua in-  
numerabilia in Rempublicam me-  
rita , atque ad tuas incredibiles  
civiles laudes maximus tua religio-  
ne , pietate erga Deum , caritate-  
que erga ceteros homines cumulus  
accedat . Ita scilicet in Regni bo-  
num atque utilitates incumbis , ut  
nihil illius curæ cogitationesque de-  
trahant de tua interiori animi pie-  
tate , deque iis Religionis officiis ,  
quæ propria Christiani Principis

ef-

esse constat . Hinc singularis illa in  
frequentandis sacris mysteriis assi-  
duitas existit , quæ efficit , ut au-  
gustissimum , atque immortale sacri-  
ficium a Christo servatore ad no-  
stram salutem divinitus institutum  
singulis diebus te præsente fieri cu-  
res . Hinc rursum incredibilis , ac  
pene divina providentia , qua dili-  
gentem adhibes curam , ut non pec-  
cata modo , sed peccandi etiam oc-  
casiones tollantur , ut tuorum sub-  
ditorum mores exigantur ad virtu-  
tem , integritatemque vitæ , ut sa-  
cræ ceremoniæ caste , rite , pie , san-  
cteque peragantur , ut Templorum  
splendor , atque elegantia , Sacer-  
dotum dignitas , atque auctoritas  
augeri , amplificarique possit . Quid enim

enim aliud, ex quo ad Reipublicæ  
gubernacula accessisti, tua actio,  
ratio, cogitatio fuit, quam illu-  
stris, constans, perpetua exornan-  
dæ Religionis, amplificandique di-  
vini cultus voluntas? quo potissi-  
mum divitias, opes, auctoritatem  
Regiam conferre soles, nisi ad Tem-  
plorum magnificentiam, cultumque  
Viris sanctissimis ab Ecclesia cat-  
holica decretum & conservandum,  
& augendum? quid Tibi jucun-  
dius, quid optatus accidere potest,  
quam eos publicis honoribus exor-  
natos videre, quorum præclare fa-  
cta singularemque virtutem suspi-  
cis, atque admirare? Quæ qui-  
dem magnos mihi animos faciunt,  
ut te orem etiam, atque etiam,  
im-

imploremque Regiam Clementiam,  
ut me ea, qua soles, humanitate  
complecti, curareque velis, ut ni-  
bil mibi desiderandum sit, quod ad  
caussæ LOPESII & expeditum,  
& felicem exitum spectare videa-  
tur. Cujus profecto caussæ patro-  
cinium, defensionemque eo alacrius,  
ardentiusque Te suscepturum mihi  
persuadeo, quod non ignores, ni-  
bil abs Te Supremo Indiarum Se-  
natui, (cujus incredibilis est erga  
LOPESIUM observantia, atque  
studium) nihil Occidentalibus po-  
pulis, qui imperata faciunt, nihil  
religiosissimis Hispaniarum genti-  
bus, nihil denique omnibus bonis,  
piisque gratius, acceptiusque fieri  
posse, quam eniti, atque elaborare  
c Te,

Te, ut quem tantopere colunt, ve-  
neranturque, eum in Beatis posi-  
tum, publicisque honoribus affe-  
ctum tandem aliquando intuean-  
tur. Ad me quod attinet, omnes  
meas curas, vigilias, cogitationes  
eo conferam, ut quamprimum fie-  
ri possit, ac liceat, LOPESIUS in  
Sanctorum numerum a Pontifice  
Maximo referatur, cum ut Tibi,  
qui singulari Clementia mea in hac  
re opera uteris, gratus, ut de-  
beo, memorque beneficii sim, tum  
ut Indorum, Hispanorumque vo-  
tis, ac precibus aliquando satisfiat.  
Nil enim mea sententia glorio-  
sius, nihil illustrius Tibi erit, ni-  
bil mibi magis honorificum, quam,  
Regni Tui tempore, meo labore no-  
vum

vum hoc decus, atque ornamen-  
tum inclitæ Hispanorum genti ac-  
cedere. Cujusdam namque singu-  
laris felicitatis loco judico, me a  
Patre Tuo optimo Principe potissi-  
mum selectum esse, qui Romæ hoc  
negotium procurarem, causam  
que tanti Viri apud Eños sacræ  
Rituum Congregationis Patres a-  
gerem. Pluris namque id facio,  
quam vetusta illa beneficia, quibus  
veteres Hispaniarum Reges majo-  
res meos ornatos esse voluerunt.  
Nam nobilitas quidem generis,  
bonores, dignitates, dignitatim  
que insignia habent apud vulgus  
multum admirationis, & laudis,  
sedem vero stabilem, & domicilium  
gloriæ certum non habent. Quæ  
ve-

VERO ex Religionis negotiis bene gestis laudes profiscuntur, bæ maxime viro ingenuo sunt propriæ, bæ dignæ homine Christiano, atque religioso, dignæ quæ memoriæ posteriorum mandentur sempiternæ.

Igitur dum Tuam, REX CATHOLICE, imploro opem, ac Regiam auctoritatem, DEUM O. M. enixe precor, obtestorque, ut Te diu fospitem nobis, atque incolumem servet. Vale.

L Egi libellum inscriptum *Collectio Opusculorum de Venerabili Servo Dei Gregorio Lopeio Gc.*, nihilque in eis reprehendi, quod Religioni Catholicæ, & bonis moribus aduersetur, quare censeo dignum esse, qui in lucem edatur.

Dabam in Aede Minervæ 14. Decembris 1751.

F. Thomas Mamachius Ord. Præd.  
Theologus Casanatenfis.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmō P. Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. De Rubeis Patriarcha Conf. Vicegerens.



ALERE FLAMMAM  
VERITATIS

JUSSIONIBUS Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici libenter obtemperans, Collectionem Opusculorum de Venerabili Servo Dei Gregorio Lopessio Ge. accurate legi; cumque nihil contra Fidem, vel bonos mores in illis repererim, imo plura, quæ ad Virtutem sectandam pertinent, in laudato Libello invenerim, sentio Typis posse mandari. Datum ex Collegio Romano die 17. Decembris 1751.

Emmanuel de Azevedo Societatis Iesu.




IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Rmī P. Mag. Sacri Palatii Apost. Soc. Ord. Præd.



DIRECCIÓN GENERAL DE PUBLICACIONES

AD.



## ADMONITIO.




Ereor, ne quis inveniatur, qui pugnatio quædam, & factu admodum difficultia in Defensione P. Ariæ, quam nos latinam fecimus, videri & esse putet. Nam auctor hujus operis duodeviginti annorum spatio dies, noctesque, continenter ejus vita versatum se esse fatetur. Quod in P. Ariam Societatis Iesu Theologum, atque in Mexicana Academia Theologica facultatis Magistrum cadere nullo modo potest. Qui enim homo claustrum adductus, & in scholasticis exercitationibus occupatissimus ad Lopessi latus XVIII. annos ipsos perpetuo assidere poterat? Hæc ego cum inquirerem, cum monumentis, queis fides adhiberi oporteat, tum etiam argumentando comperi; Defensionem infra positam a P. Ariæ rogatu Francisci Loffæ, cuius etiam nomine vulgata est, fuisse compositam. Hujus rei causa nomen P. Ariæ in quibusdam exemplaribus, ut in eo, quo nos usi sumus præferre, quamvis semper ex persona Loffæ loquatur. Igitur animadvertendum est, quod cum

cum pag. 69. dicitur, Vitam Lopesii ab P. Aria esse scriptam, atque statim in parenthesi subjungitur, eam injuria temporis periisse, errandi præbuuisse occasionem nomen. Auctoris, quod præferebat: *Defensio*. Re autem diligenter investigata, compertum est, ut demonstravimus, Vitam, quæ ibidem laudatur, eam ipsam esse, quæ a Francilico Lossa fuit edita, quæque adhuc extat, et que typis vulgata. Id quoniam clare ostendimus, non est opus, ut pluribus confirmemus.

---

#### PROTESTATIO.

Decretis Urbani VIII. aliorumque Pontificum Maximorum obtemperans testor, que de rebus gestis Gregorii Lopesii dixi, eo me consilio dixisse, quo dici a permultis intelligo, ut a lectorib[us] non aliam fidem, quam mere humanam, qualis ad biberi privatim Historici sicut, poscerem.



FR.



FR. VINCENTII M. BADETTI ORD. PRÆD.  
DE VITA, ET REBUS GESTIS  
VENERABILIS SERVI DEI  
GREGORII LOPESII HISPANI  
COMMENTARIUS.



I. Regorius Lopesius Hispanus non tam magnitudine rerum gestarum, quam vitæ integritate nobilis fuit. Nam hujus vita si cum veterum Anachoretarum comparetur institutis, vix Christiana Respublica superiori tempore tulit, & consequenti vix umquam feret vel virtute, vel innocentia morum, vel admirabili doctrina, & exquisita omnium artium cognitione Anachoretam præstantiorem. Sed ab initio exordiendum est.

A


II. Man-

cum pag. 69. dicitur, Vitam Lopesii ab P. Aria esse scriptam, atque statim in parenthesi subjungitur, eam injuria temporis periisse, errandi præbuuisse occasionem nomen. Auctoris, quod præferebat: *Defensio*. Re autem diligenter investigata, compertum est, ut demonstravimus, Vitam, quæ ibidem laudatur, eam ipsam esse, quæ a Francilico Lossa fuit edita, quæque adhuc extat, et que typis vulgata. Id quoniam clare ostendimus, non est opus, ut pluribus confirmemus.

---

#### PROTESTATIO.

Decretis Urbani VIII. aliorumque Pontificum Maximorum obtemperans testor, que de rebus gestis Gregorii Lopesii dixi, eo me consilio dixisse, quo dici a permultis intelligo, ut a lectorib[us] non aliam fidem, quam mere humanam, qualis ad biberi privatim Historici sicut, poscerem.



FR.



FR. VINCENTII M. BADETTI ORD. PRÆD.  
DE VITA, ET REBUS GESTIS  
VENERABILIS SERVI DEI  
GREGORII LOPESII HISPANI  
COMMENTARIUS.



I. Regorius Lopesius Hispanus non tam magnitudine rerum gestarum, quam vitæ integritate nobilis fuit. Nam hujus vita si cum veterum Anachoretarum comparetur institutis, vix Christiana Respublica superiori tempore tulit, & consequenti vix umquam feret vel virtute, vel innocentia morum, vel admirabili doctrina, & exquisita omnium artium cognitione Anachoretam præstantiorem. Sed ab initio exordiendum est.

A

II. Man-

II. Mantuae Novae in Carpetanis oppido illustri Regum Hispanorum sede natus anno MDXLII., atque Christianis sacris initatus, Gregorius appellatus est. De ejus origine non satis constat. Mihi autem cum iis convenit, qui nobili genere esse ortum defendant. Puer iis disciplinis, quibus illa ætas impertiri solet, institutus est. Nam liberales artes nusquam attigit. Cujus rei caussa ejus præmatura in solitudinem secessio fuit. Novenus enim animo a rebus, quæ intercidant, erat adeo alieno, ut missis domesticis commodis, honoribusque, quos ejus præclarum ingenium, & proximorum potentia pollicebantur, clam suis omnibus domo profugiens in Navarrorum fines se conferret, ut ibi viro quodam, qui magna tunc sanctitatis, prudentiaeque laude, & singulari vitæ anachoreticæ studio florebat, Christianæ virtutis magistro uteatur. Apud quem cum sex annos ipsos commoratus esset, propinquorum justū, qui magnam spem rei domesticæ augendæ, amplificandæque in adolescentis virtute collocarant, in patriam redire coatus

estus

estus est. Inde horum missu Valisoletum veniens, regii pueri apud Philippum II. Hispanorum Regem functus est munere. Quo tempore multa dedit continentis, sapientisque vitæ argumenta. Ita enim se in Regia gerebat, ut a rerum divinarum meditationibus, & reliquis Christianæ pietatis officiis numquam cessaret; nihilque luxu, atque ambitu Aulae moveretur. Quod spectatum satis, & magnum continentiae, consiliique exemplum fuit.

III. Quæ hactenus dicta sunt, ea tantum ad nostram memoriam de Lopessi adolescentia pervenerunt. Mira enim erat taciturnitate, resque suas, ne laudem conserueretur, data opera celabat. Quam obrem de reliqua ejus ætate agendum est. Igitur postquam ephœbus est factus, rursum de secessione in solitudinem cogitavit, ubi negotiis humanis omnibus, quæ per se ad salutem minime conferrent, solitus, libere operam rebus dare divinis posset. Cumque multa animo versaret, in eam tandem sententiam venit, ut in regionem abiret, quæ a feris, immanibusque hominibus incoleretur. Ne

A 2

ve-

4

vero tam grave consilium temere fuscipere videretur, Christum Servatorem, ejusque Virginem Matrem etiam, atque etiam obsecravit, ut in re tam gravi quid facta esset opus, significanter. Quum jam sua divino Numini cogitata probari intellexisset, in sententia confirmatus, maturavit iter, atque idoneum ad navigandum in Americam tempus nactus, concendit navim, ac facili usus tempestate in portum Verae Crucis primum appulit; inde rebus suis omnibus, ne iis quidem exceptis, quæ ex usu erant, egenis distributis, in urbem Mexicum proficisciatur. Ubi à Sanromano (nam hospiti hoc cognomen erat) exceptus, quamdiu apud eum mansit, scribæ locum tenuit. Hujus rei causa Mexico exeuntem pecunia juit, qua institutum ad Zacathecas iter prosequeretur. Interea accidit, ut argentum Regium per Zacathecas ad Mexicum supportaretur, atque adeo magnus in platea hujus civitatis fieret hominum concursus, qui nescio quo casu jurgiis, conviciisque se mutuo laceſſerent, perierarent, ac injuriis invicem prosequerent-

5

rentur. Quo tempore duo districtis gladiis tam inimica mente concurrerunt, ut seſe mutuo ferierint, moxque decesserint. Qua re vehementer Lopesius perturbatus, rerumque humanarum magis, magisque pertæſus, quod jamdiu in animo constituerat, ut se in extremos ejus regni recessus abderet, ubi nihil esset, quod ejus mentem a contemplatione rerum divinarum avocare posset, id opere perficere decrevit.

IV. Itaque vilioribus, quam hactenus consueverat, vestibus induitus, preciosioribus egenis dono datis, nullo certo itinere XXIV. circiter paſſuum millia a Zacathecis progressus, in valle Amajachi constituit. Colebant ea loca tunc temporis Chichimeci efferati homines, atque ab humanitate omnino alieni, gentique Hispanicæ adeo infensi, ut in quemlibet eorum inciderent, statim dentibus discernerere, devorareque auderent. Quamobrem non deerant, qui prudentiam Lopesii desiderarent, quod in tantum periculum ſeſe conijiceret. Neque enim homines tam inimico adversus Hispanos animo data facultate temperaturos ab injuria, & ma-

maleficio existimabant. Ille, qui se totum Dei curæ, providentiæque crediderat, omniaque illius afflatu, instinctuque faciebat, nihil veritus eorum, quæ dicerentur, ubi eo pervenit, arctiorem, excellentioremque vivendi rationem exorsus est. Nam mira vivere cœpit continentia, atque severitate, adeo ut carnes numquam post hac comederit, sed pane ex ejus generis frumento, quod nos *siculum* vocamus, confecto, sine obsonio semel quaque die contentus esset, nuda cubaret humo, idque tam parce, ut albente cælo surgeret, lectoque aliquo sacrorum Bibliorum capite, quibus nostra & doctrina, & bene vivendi præcepta continentur, divinarum rerum contemplationi dederet sese, sique ad multam noctem perseveraret; sensuum oblectamentis, animique cupiditatibus strenue semper resistiteret, tanta denique continentia morum, innocentiaque viveret, ut vel Chichimeci ipsi suæ oblitii immanitatis eum amarent, admirarentur, adjumentoque illi essent, ut casam ex canna & palea, in qua versaretur, construeret. Tantum vel apud feros, baroſ-

barosque homines Christianæ vitæ integritas potuit. Atqui non hominibus modo, qui sape decipiuntur, verum etiam Deo immortali, qui neque falli ipse, neque fallere quemquam potest, ejus sic institutam rationem probatam fuisse demonstratum est. Ferunt namque viſos aliquando a Moreno quopiam cælicolas fuſſe, qui ei adjumento effent, dum se in agricultura exerceret. At enim etſi tanta cælitum familiaritate, Chichimecorumque benevolentia uteretur, non destitit humani generis hostis multa moliri, quibus pacem, tranquillitatemque animi, qua gaudebat, perturbaret. Quæ etſi qualia fuerint ignoramus, propterea quod ea nulli umquam hominum patefecerit; tamen & plura, & magna fuſſe, ex eo etiam, quod nunquam eorum sine animi perturbatione reminisceretur, aſequi facile possumus. Sed Deus Optimus Maximus, qui sanctos homines angustiis premi, & malis inimici artibus vexari aliquando patitur, non ut pereant, sed ut eorum virtus conspicua reddatur, majoraque in dies capiat incrementa, tantam ipſi vim, at-

atque potestatem dedit, ut facile Dæmonas superaret, eorumque machinamenta eluderet. Hoc igitur tam acri, quod cum communi hoste gessit, bello non modo vinci, expugnarique non potuit, verum etiam sic est in virtute, constantiaque animi confirmatus, ut contineri deinceps uno tugurio nequiere, sed erumpere, atque in lucem hominum prodire necesse esset.

V. Nam postquam eam tam singularem vitam apud Chichimecos annis fere tribus duxisset, inde egressus proprius ad vicos, atque urbes, ut hominum commoda, utilitatesque procurare posset, accedere constituit. Itaque primum in villa Idelfonsi Avalosii constitut, a quo humanissime acceptus, multisque ornatus beneficiis est. Etenim non modo hortum, quo uteretur, ei concessit, verum etiam Americano nescio cui, ut ea, quæ ad vitam commode sustentandam necessaria sibi viderentur, eidem provideret, jussit. Biennium hoc in loco, solo fere lacte, & caseo victitans, transfergerat, cum Divino monitu ad Zaca-

cathecas redire cogitur, quo in itinere cum in villam Sebastiani Mexiae divertisset, brevi anteactæ vitæ exemplo, atque prece hospiti persuasit, ut fastu, luxuque contemptis, ei se se totum traderet in disciplinam, optaretque, ut de sua re familiari ipse unus, uti facto esset opus, disposeret. Sed persuadere homini, qui severioris paupertatis studio propria reliquerat, ut aliena procuraret, non potuit. Relicto Sebastiano, qui brevi post non mediocri sanctitatis fama illustris decessit, ad pagum quemdam, qua iter ad Zacathecas erat, pervenit. Forte fortuna illis diebus eodem Evangelium prædicatum venerat Dominicus Salazarius Ordinis Prædicatorum vir doctus, singularique virtute. Is ut audivit Lopesium in pago versari, statim ad hominem adiit (erat enim ejus nomen magna in celebritate, ita ut nemo esset, qui non eum videre, alloqui, retinere apud se cuperet) quumque multa ex eo rogasset, audiissetque, brevi in intimam ejus familiaritatem, atque amicitiam venit. Cœpit deinde multis suadere homini, ut va-

gandi finem faceret , suæque valetudinis haberet rationem . Confidere namque se , ut id facile Lopesius consequeretur , si conferre se in cœnobium Mexicanum . Prædicatorum voluisset . Curaturum enim se Salazarius promittebat , ut nihil ei deesset , omnibusque gratissimus habetur . Hæc cum sècum animo Lopesius cogitasset , neque ab instituta vivendi ratione aliena esse cognovisset , faciendum haud esse judicavit , ut tanti viri consilio non pareret . Quamobrem accepit conditionem , statimque Mexicanum iter instituit . Non tamen recta contendit . Animadverterat enim sibi nova tunica opus esse , quum ea , qua hactenus erat induitus , jam vetustate detrita esset . Novam autem et si dono , atque gratis habere potuisset , si petere , aut alio modo sibi necessariam esse indicare voluisset , ne tamen hospites , familiaresque suos gravare , neve cuiquam damno esse videretur , Hispano cuidam suam operam ea voluntate locavit , ut tantum pecunia lucraretur , quantum ad tunicam emendam satis esset . Ab Hispano iussus Lopesius , ut totam

tam familiam rebus divinis , severoribus que Christianis disciplinis institueret , tanto studio , atque doctrina id præstítit , ut omnes admirarentur , tantumque virum apud se retinere vehementer optarent ; quod ille pati nullo modo potuit . Nam exæcto tempore , de quo inter eos conventum erat , acceptaque tunica domo abiit , & Mexicanum contendit . Eo ut per venit ad cœnobium Mexicanum Prædicatorum accessit quæsitus de Dominico Salazario . Ubi abesse inde eum cognovit , aliquos dies apud Dominicanos mansit , ut eum opperiretur . Sed quum eum longe abiisse , neque brevi redditum intellexisset , gravioribus illius cœnobii Patribus acceritis , caußam sui adventus , quidque cum Salazario egisset , ostendit . Petuit , ut si eorum voluntate fieri posset , eum apud se retinere ne gravarentur . Non latebat Dominicanos qualem virum in cœnobia haberent , quantaque in eos commoda , atque utilitates ex familiari cum eo consuetudine redundare possent . Itaque responderunt : Nihil sibi accidere optatius posse , quam ut illi satisfacerent ,

adeoque non modo pati, sed orare etiam se, atque obsecrare, ut ipse eorum facultibus uti vellet. Sciret tamen præter eorum consuetudinem esse, ut una cum iis, qui eorum institutum non profiterentur, vitam degant. Quamobrem si una manere cuperet, ut in eorum Ordinem cooptaretur. Hoc accepto responso, quum neque diutius expectandum Salazarium putaret, neque a Deo immortali ad claustra, sed ad silvestria, remotaque loca, vocaretur, gratias Dominicanis, quas potuit maximas, egit, quod tanta in eum humanitate usi essent, a Mexico vertit iter, atque multis laboribus perfunctus Guastecam pervenit.

VI. Visus est hic locus maxime Lopessio opportunus, cum propter silvestres fructus, quibus illa regio abundat, quibusque vitam sustentare posset, quin ulli, quod ille diligentissime semper cavit, molestiam afferret; tum propter abditos recessus, quibus vehementer ad rerum divinarum contemplationem incitabatur. Quamobrem diutius ibi constisset, nisi vi morbi discedere coactus esset. Nam post-

postquam mira continentia, atque increbili sanctitate annos fere duos admordum parce vitam transegisset, tot laboribus fractus, & frugum silvestrium, quibus solis vicitabat, acerbitate magis magisque extenuatus cœpit dysenteria labrare; quo morbo, nisi Deus opem tulisset, e vita profecto decessisset. Augebatur enim vis morbi, neque de remediis Lopesius cogitabat, propterea quod vereretur, ne si quemquam arcesseret, ei que statum, in quo erat, exponeret, afferre eidem incommodum videretur, omnesque, qui esset, cognoscerent. Interim Deo, quem sibi numquam defuturum norat, magna se fiducia commendabat. Nec frustra. Nam cum ad aures Sacerdotis cuiusdam, qui hisce in locis morabatur, quique se totum egenorum, & morbis laborantium miseriis sublevandis dediderat, peryisset, gravi morbo Lopesium conflictari, extemplo curavit, ut domum suam transferretur, deditque operam, ut nihil pratermitteretur, quod ad ejus valitudinem cito, & bene confirmandam opus esset. Sed quum Medici nihil pro-

descent, jamque omnes de ejus salute desperarent, propterea quod aliquot dies omni cibo abstinuerat, divinitus sanitatem recuperavit. Nam somno oppressus, neque multo post expergefactus fese sanum, & bene valentem sensit.

VII. Confirmata valetudine in silvas rursus instituti retinendi causa fese abdere cogitabat. Erant enim aptæ imprimis, atque opportuæ ad eam, quam constituerat, vitæ rationem tenendam. Sed Sacerdotis, de quo paullo ante diximus, hortatu, studio, atque humanitate deterritus est, quo minus id faciendum arbitraretur. Avebat enim habere apud se hominem, qui tanta vitæ, morumque integritate, & innocentia viveret, omnibusque admirationi esset. Itaque gessit ei morem Lopesius. Sed cum ejus nominis fama longe, lateque in dies disseminaretur, ac nobile ejus nomen apud illarum regionum incolas haberetur, veritus, ne hominum plausus, atque laudes, quibus afficiebatur, quidquam de illa interiori animi demissione, tranquillitateque, quibus fruebatur, detraherent, Atris-

cum

cum profectus est. In itinere cum in Jo-  
hannem Romerum incidisset, ab eoque  
rogatus esset, ut sua domo, atque facul-  
tatis, quas in oppido habebat, uti vel-  
let, biennio summa illius voluntate ibi-  
dem mansit.

VIII. At enim etsi Romerus, ejusque  
domestici, & incolæ plerique omnia bo-  
na dicere, & laudarent fortunas suas,  
quod cum eo una viverent, ad cuius nor-  
mam vitam, moresque exigere possent  
suos, non defuerunt tamen nonnulli ob-  
trectatores, (non enim est celandum)  
qui vel imperitia, vel studio, ut sibi fal-  
so persuaserant, religionis ducti, ejus in-  
stitutum reprehenderent, eumque novi-  
tatis, atque etiam hæreseos accusarent;  
propterea quod longe ab ceterorum ho-  
minum moribus, rationeque vitæ differ-  
ret, neque eam precum seriem, quam  
*Rosarium B. Mariæ Virginis* vocamus,  
publice recitare soleret, neque ullum Or-  
dinem Monachorum profiteretur. Jam  
horum accusationes, conquestionesque in  
vulgus manaverant. Has ut Antistes Me-  
xicanorum rescivit, diligenter in ejus vi-  
tam,

tam, mores, atque doctrinam inquirendum jussit. Quo judicio cum innocens, atque indemnatus discessisset, tantam est consequutus laudem, ut illius vitandæ causa magno Romeri, ceterorumque oppidanorum dolore Atriscum relinquere, & denuo Mexicum iter instituere judicaverit. Quum proprius abesset animadvertisit e regione urbis esse collem, supraque collem facellum Deo in honorem Deiparæ Virginis dicatum. Hunc locum propter Mariæ Virginis, quam magnopere venerabatur, templum, vicinamque templo domum idoneum ratus ad habitandum, ibi constitit, cumque aliquandiu omnibus esset ignotus magna pace, tranquillitateque animi fruebatur, insistebatque contemplationi divinarum rerum, qua nihil dulcius, jucundiusque habere poterat. Etsi enim incredibili difficultate afficiebatur, qua ratione vitam sustentare posset, libenter tamen sitim, famem, frigora, aliaque quotcumque incommoda perferebat, modo obscurus, longeque ab inani hominum gloria viveret. Qui enim eo, ut se Virgini commendarent, venti-

ta-

tabant, eumque alloquebantur, quamquam bonum virum, & simplicem, rudem tamen illum esse, atque inlitteratum arbitrabantur.

IX. Sed diu virtutis splendor, nominisque tanti viri celebritas latere non potuit. Cœpta est namque ejus domus a viris probis, religiosisque frequentari, a quibus ei omnia, quæ ad vitam pertinenter, suppeditabantur; quidam etiam sape ad prandium invitabant, diligenterque ejus vitæ modum observabant, singulariisque frugalitatem admirabantur. Alii contra, et si non reprehendebant, aperte tamen, propter inusitatam, ut ipsi existimabant, vivendi rationem, laudare non audebant. Alii denique eum novitatis, atque hæreseos iterum condemnare, & velut hypocritam, atque impostorem, in quem animadvertendum esset, apud omnes traducere non verebantur. Contra Lopesius hasce injurias, reliquaque criminaciones æquo animo ferebat, Deoque gratias, quod digna sibi suis factis referri pateretur, maximas agebat. Interea Petrus Moja Contrerasius vir gra-

C

vissi.

vissimus , qui eo tempore Mexicanorum Ecclesiam administrabat , veritus , ne quid illa detrimenti caperet , si vera essent , quæ de Lopesio ab ejus obtrectatoribus jactabantur , iterum de ejus moribus atque doctrina severiorem agere quæstionem decrevit . Quamobrem Francisco Loxæ Parœco principis Mexicanorum Ecclesiæ primum in mandatis dedit , ut id laboraret , idque eniteretur , ut quæcumque ab Gregorio gererentur , exploraret , & ad se deferret . Qui cum imperata fecisset , nihil reperit , quod vituperandum , reprobandumque videretur . Quin tanta ejus virtutis , atque doctrinæ admiratione captus est , ut deinceps plurimi semper hominem fecerit , ejusque providentia se , resque suas omnes crediderit . Sed de hoc viro alibi redibit sermo . Mexicanus Antistes unius viri , quamquam sapientissimi , testimonio minime contentus Idelfonsum Sanchesium Societatis Jesu Theologum accersit , eique quid fieri velit , ostendit . Is continuo Lopesium adit . Quarit ex eo , qui sit homo , quid agat , quodque vita genus confecte-

fectetur . Ille initio non satis aperte respondet , veritus , ne divulgato suo nomine , ut saepe in aliis civitatibus contigerat , magno in honore haberetur . Tum Sanchezius desine , inquit , perplexe loqui : sum enim huc ab Archiepiscopo nostro cum potestate missus , ut ad eum , quæ de te ipso cognoverim , referam . Ad hæc Lopesius æquum est , ait , ut Antistiti nostro , ejusque legato morem geram . Itaque coepit tam copiose , tamque eleganter de religionis Christianæ decretis , de sua institutione , deque similitudine , quæ inter siam , & veterum Anchoretarum , Stylitarumque vitam intercedebat , differere , tamque solide , atque modeste , quæ contra ab adversariis objiciebantur , diluere , ut facile , eum non modo virum bonum , & pium , sed doctum etiam , atque in sacris litteris , & Ecclesiæ traditione versatum esse , appareret .

X. His rebus Archiepiscopo renuntiatis , multa deinde sua in Lopesium benevolentia , atque existimationis dedit argumenta . Nam & adversariorum calum-

niandi audaciam sua auctoritate repressit, & munusculis saepe saepius, quanti illum faceret, demonstravit. Quin etiam cum accepisset, stomacho eum non bono esse, aliisque propter aeris intemperiem conflictari incommodis, erat enim tenuissima valetudine, ut salubriore aere uteretur, in nosocomium Guaftapechæ, quod oppidum ix. circiter millia passuum a Mexico aberat, transferri curavit, suisque litteris, atque nunciis nosocomii praefecto vehementer commendavit. Hic et si liberaliter tractaretur, nihilominus numquam oppidum circumire, numquam e parvo cubiculo, ubi se divinis rebus oblectans continebat, exire consueverat, nisi festis, aliisque nonnullis statim diebus, ut sacris mysteriis interesset, ægrisque, quos ad ferenda valetudinis incommoda peramanter consolabatur, solatio esse posset. Hoc modo cum vitam ageret, nihilsecus sensim a nonnullis reprehendebatur, propterea quod operam continenter non daret iis, qui morbo aliquo laborarent. Ille autem, quid se facere par eset potius, quam quid alii lau-

laudarent, intuebatur. Erat enim infirma valetudine, & nosocomii foetore ita affiebatur, ut se in ea re vincere nullo modo posset. Interim ne infirmis inutilis omnino videretur, librum, qui magno usui valetudinariis eset, scripsit. In eo herbarum, plantarumque multarum naturas, atque virtutes, morborum diversa genera, remediaque, quæ illis adhiberi possent, accurate, eleganterque explicavit. Quæ res mirabilis fane videri debet in homine, qui ne primoribus quidem, ut ajunt, labiis physicorum studia attigisset. Biennio eo in nosocomio commoratus, quin convalesceret, gravioribus morbis agitari coepit. Id priusquam ei accideret Petrus Praviensis Dominicanus Mexicani Antistitis jussu eum convenit, cumque in ejus mores jam tertio inquisivisset, nihil reperit, quod summa laude, commendationeque dignum non existimarit. Quod satis luculentum est innocentiae, atque sanctitatis Lopesii testimonium. Jam in morbum inciderat, cuius initio, quod levis videretur, Medici rationem habendam non putarunt.

Sed

Sed paullo post, cum & incommoda accrescere, & æstum augeri animadvertisserunt, acuta eum febri laborare comperebunt. Cognita morbi natura ejus vim, sanguinem saepe mittendo, represserunt; haud multum tamen profecerunt. Cujus rei causa Mexicum repetere Medicorum consilio coactus est. In itinere cum ad vicum, quem incolæ S. Augustini vocant, pervenisset, Franciscus Loffa, quem supra nominavimus, ei obviam occurrit, atque ut in suam domum transportari patetetur, rogavit. Id cum facile impetrasset, nullam non adhibuit curam, quæ ad sanandum eum, confirmandumque pertineret. Sed cum lenta febris, jecorisque inflammatio diutius protraheretur, illeque jam solitudinis desiderio vehementer flagraret, ejus voluntati obsequi, valetudinique consulere posse Loffa putavit, si deditset operam, ut in vicum, quem S. Fidei appellant, qui vicus VI. millia passuum a Mexico distat, transduceretur. Itaque fecit. Erat hic locus temperatione cœli, fertilitate agrorum, & incolarum frequentia cum amœnus, tum etiam

etiam salubris; his tamen rebus nihil ille omnino commovebatur; quin potius occasionem ex rerum conditarum ordine, atque pulchritudine, earum opificem, atque conservatorem Deum ardentius, vehementiusque amandi, colendique capiebat. Quamquam de eo vitæ instituto, quod tum primum, cum in Americam secesserat, tenuit, nihil unquam diminuit; sed ejus in Deum pietas, atque erga homines caritas ita aucta semper, amplificataque est, ut suis omnibus numeris, & notis absoluta videretur. Id unum amicorum precibus concessit, ut jam senex commodiori lectulo uteretur.

XI. Septem jam menses elapsi erant, ex quo in vicum S. Fidei venerat, cum Franciscus Loffa tanti viri præsentia carere non valens, Dei, ut credibile est, monitu abdicatis Parœci, reliquisque, quibus Mexici fungebatur, muneribus, ad eum venit, seque totum ei tradidit in disciplinam, atque ita post una vixerunt, ut ad extremam usque ætatem eorum amicitia creverit. Quod divino consilio, atque providentia factum arbitramur, ut ef-

24

esset aliquis , qui res a Lopesio praeclare gestas Historiarum mandaret monumen-  
tis . Ex eo enim accepimus , a summo  
mane ad multam usque noctem rerum  
æternarum contemplationi continenter da-  
re operam Gregorium confueuisse , tan-  
taque constantia in eo officio perdurasse ,  
ut vere affirmari posset , eum ipsos xxxiii.  
annos , ex quo in Americam venerat ,  
diu noctuque supernis rebus exercuisse se-  
se , numquam vero mentem suam ad hæc  
caduca , atque peritura convertisse . Cu-  
jus rei aliud præterea habemus argumen-  
tum , quod non præteribimus , quamvis  
nonnullis leve visum iri putemus . Est  
autem hujusmodi . Extremis vitæ annis  
numquam exemplogesim fecit ; persæpe  
enim ad Sacerdotem accedebat , rogabat ,  
sibi ut Corporis Christi percipiendi fa-  
cultas fieret ; a quo rogatus quidquam  
ne , quod lege vetitum esset , commis-  
seret , respondebat , se omnium maximum  
peccatorem esse , nihil tamen eorum ,  
quæ minus caute aliquando fecisset , me-  
moria tenere . Ex quo apparet , tanto er-  
ga Deum amore incensum fuisse Lope-  
sium ,

25

sium , ut quidquam , quod secundum  
Deum non esset , ne cogitasse quidem  
umquam visus sit .

XII. Neque minus aliorum saluti , at-  
que commodis studebat . Primo enim  
quandiu vixit , diligentissime semper ca-  
vit , ne cuiquam molestiam , atque incom-  
modum afferret . Jam vero ceteros homi-  
nes rebus , quibus poterat , juvare , om-  
niaque sibi , nihil aliis , deesse vehemen-  
ter optabat . Quod si opera , atque pe-  
cunia eorum miseriam sublevare nequi-  
bat ; sermone tamen , hortationibus , in-  
terdum minis , semper precibus ad vir-  
tutem , pietatemque colendam incitare  
enitebatur . Dum in iis locis degeret , in  
quibus facile conveniri posset , nemini  
unquam , qui bona mente ad se petitum  
consilium veniebat , aditum intercludere  
solebat . Omnes vero tanto studio com-  
pletebatur , tantoque consilio , atque  
prudentia eorum rebus prospiciebat , ut  
vere dici posse videretur , neminem ad  
eum accessisse , qui melior non discesse-  
rit . Erat enim in homine summa gravi-  
tas , magna suavitas oris , atque sermo-  
nis

D

nis incredibili modestiæ , caritatique conjuncta , ita ut vel adspectu ipso , brevibusque , quibus abundabat , sententiis plurimos in Dei amorem induxerit . Cujus rei nonnulla referre exempla operæ pretium duximus . Rogatus a Sacerdote quodam , quid facto esset opus , ut pacem , tranquillitatemque animi consequeretur ; annum , inquit , ipsum Mexici vitam solitariam agito . Id responsum quo valeret , cum intellexisset Sacerdos , ut saepe scilicet cum Deo , quam cum hominibus versari studeret , atque imperata fideliter fecisset , quiete , sancteque reliquum vitæ traduxit . Pari modo alteri cuiquam angustias , quibus premebatur , magno cum dolore narranti ita respondit : id est Purgatorii genus , in quo , dum vivis , a Deo detineris . Quod satis fuit , ut sedata mentis perturbatione libenter deinceps ærumnas , commotionesque animi ferret . Aliquando sacrarum litterarum testimonia , veluti oracula quædam , fundebat , sicque eos , quibus cum loquebatur , vel magnopere consolabatur , vel ut peccandi finem facerent , inducebat . Multa alia

alia hujus generis fecit , quæ referremus , nisi majora , potioraque haberemus .

XIII. His tot virtutum opibus cum valeret , nihil spei in se , multum in Deo collocabat . Nam ut primum in solitudinem venit , ita fœse Dei providentia cediderat , ut certo consideret , se minime iri perditum . Qua fiducia alacriter magnam partem incommodorum ad mortem usque tulit . Neque vero ignorabat , virtutum omnium fidem fundamentum esse , quamobrem tantam iis omnibus , quæ ab Ecclesia credenda proponuntur , assensionem adhibebat , ut omnium cruciatuum genera pati mallet , quam aliquid agere , quod nostræ fidei minus esse consentaneum videretur . Affidue præterea Deum precabatur , ut in ea confirmaretur , nihilque eum lateret , quod agendum Orthodoxis omnibus esset . Sacramenta Ecclesiæ magna religione frequentabat , Deiparam Virginem , cælitesque reliquos summa observantia colebat , atque venerabatur ; eorum imaginibus honores tribuebat , quos Ecclesia tribuendos esse præscriptis . Summorum Pontificum

ficum sanctiones , piasque Orthodoxorum hominum consuetudines summa veneratione consectabatur ; Sacerdotes , potissimum Monachos , magno in honore & habebat ipse , & reliquis habendos esse prædicabat . Majoribus , imprimisque iis , qui Ecclesiastica , aut civili potestate præstabant , summa facilitate dicto audiens erat . De Principe , deque ejus ministris detraхи quidquam coram se minime patiebatur , sed iis parendum esse , honorisque adhiberi oportere existimabat . Non enim ignorabat , hæc omnia nobis a Christo legislatore esse præcepta .

XIV. Sacrarum litterarum , totiusque antiquitatis studiosissimus fuit . Nihil enim in sacris litteris continetur , quod ille non haberet plane cognitum , atque perspectum , memoriaque retineret . In iis , si quid opus erat , celeriter reperiebat , facileque oratione explicabat , & quod mirabile sane videri debet , ita seriem Iudicium , Regumque , ac familiarum , quarum sit in sacris litteris mentio , origines , propagationes , diversitates in promptu habebat , ut opportune omnium catalogo-

talogum memoriter contexere , notare que qui , a quo ortus fuerit , quos homines , quibus temporibus cœperit , consuesset . Immo vero nulla tam difficilis , tamque implicata quæstio ex sacris litteris proponebatur , de qua ille diserte , sapienterque dicere non valeret . Quam obrem erat plerisque omnibus admiracioni videre hominem pannosum , squallidum , egentem , atque omni fere humano præludio destitutum magna facilitate docere , explicareque ea , quæ iidem ipsi , qui & summi viri , & sapientes habebantur , evolvere , expedireque nequibant . Sed sacrarum litterarum peritia , qua valebat , maxime elucet in commentariis , quos rogatu Johannis Cobosii Dominican in Apocalypsim Sancti Johannis Apostoli edidit , quibus nihil potest esse jucundius iis , qui aliqua cupiditate penitiores illius obscurissimi libri sensus percipiendi tenentur . In iis enim conscribendis tanto est usus judicio , doctrina , ingenio , ut Cl. Bossuetus Meldensis Antistes , & singulare Galliarum decus , atque ornamentum cum simile quidquam

pararet, illos veluti exemplar, ad quod respiceret, sibi proponere non dubitaverit (a). Extant præterea Aguirri S. R. E. Cardinalis, aliorumque litteratissimorum virorum luculentissima, atque magnifica testimonia, quibus sanctitas, atque doctrina Lopesii magnopere celebrantur. Neque vero iis præsidii, quæ cuivis familia cogitanti necessaria existimantur, carebat, cum ad eos scribendos accessit. Nam Historiæ non sacræ solum, sed etiam profanæ tantam sibi comparaverat cognitionem, ut quotiescumque opus esset, improviso universum orbem describeret, suos cuique regno, atque imperio fines, fitusque adsignaret, eorum Reges, Magistratus, imperia denique omnia pro temporum varietate recenseret, quibus legibus, quibusque institutis viverent, quibus artibus, atque doctrinis florerent, quos Deos colerent, quamque religionem consecrarentur, doceret. Pari modo facili oratione explicabat, quibus ini-

tiis Christiana Religio incœperit, quibus aucta opibus ad tantam gloriam majestatemque pervenerit, quibus machinis, atque artibus Hæresiarchæ, perditique homines eam evertere, funditusque delere conati fuerint, quos errores quoque seculo in vulgus hominum disseminaverint. Contra tanto ingenio atque eruditione agebat, qua ratione Christiana Respubblica ex iis malis emerserit, quorum opera, atque studio in ea re ufa fuerit, quam viam, ut se tueretur iniverit, quibus denique subsidiis Catholica Christianorum doctrina niteretur, ut nemo ei illa ætate anteponi, pauci pares esse possent. Ejus rei indicium quoque esset Chronicon, in quo res præclare a majoribus gestas ab orbe condito ad Pontificatum usque Clementis VIII. P. M. exposuit, nisi injuria temporum, & hominum negligentia periisset. Scripsit præterea eruditos aliquot libellos, qui hodie non extant. Attigit etiam Astronomiam, Medicinam, Agriculturam, omnesque cum liberales, tum mechanicas artes, quæ vel ad humanitatem pertinent, vel ad vitæ usum necessariae sunt.

XV. Sed

(a) In Apocal. n. xi. pag. 24 edit. an. 1649. „C'est à quoi avoit travaillé ce Saint Homme Gregoire Lopez une des merveilles de nos Jours.

XV. Sed in eo philosophiæ Christianæ genere maxime excelluit , quod ad proprios , aliorumque mores dirigendos informandosque spectat . Nam cum magnus ad eum quotidie hisce postremis suæ vita annis fieret hominum concursus , pententium , qua ratione superare obstacula possent , in quæ , dum mores suos ad virtutem , pietatemque exigere studebant , experiundo offendere se posse comperebant , tam opportuna eis præcipiebat remedia , ut omnes ejus sapientiam admirarentur , sibique , quod voti compotes essent facti , gratularentur . Plerumque etiam venientibus , antequam quid vellet exposuissent , satisfaciebat , quidque ad illud tempus egerint , quidque deinceps agere deberent , si vitam æternam consequi optarent , prænunciabat . Ex quo intelligitur , eum cogitata hominum aliquando , eorumque arcana instinctu superiore habuisse perspecta . Hac vero tanta sapientia , ac doctrina non ad gloriam hominum , atque laudem captandam , non ad ostentationem , sed ad vitam recte agendam , aliosque homines instituer-

tuendos utebatur . Etenim cum magna principum omnium ordinum virorum , eorum præsertim , qui singulari doctrinæ laude florebant , ad eum , ut dicentem audirent , confluenter multitudo , numquam nisi rogatus , & nisi eorum utilitas posceret , verba faciebat ; ita ut nonnulli fama ejus nominis commoti , cum ex remotis regionibus curiositate potius , quam amore rerum divinarum ducti eum adirent , ac ne verbum quidem extorquere ab eodem possent , eum veluti stupidum , atque imperitum traducerent . Id autem non illiberalitate , aut officii ignoratione faciebat ; quamquam enim in silvis degeret , ita tamen se gerebat , ut communis infinis , par principibus videretur , sed potius , ut eos cum sua taciturnitate reprehenderet , tum aliquod daret demissi animi , atque modestiæ documentum . Aliquando viros religiosos , Monachos præfertim , quos plurimi semper fecit , quorumque mores ab suis minime abhorreabant , in convivio , quod numquam sine lectione fuit , adhibebat ; in eo vero ita se continebat , ut ejus abstinentiam ve-

hementer admirarentur . Nihil de constantia , fortitudine animi , ceterisque virtutibus dicam , quibus ille adeo excelluit , ut nullis unquam vel adversis rebus , vel calumniis , vel laudibus , vel hominum favore , atque principum virorum gratia a suscepto vita instituto deterri prius potuerit . Cum enim necessitas cogeret , ut saepe in alias regiones demigraret , ac modo in urbibus , modo in solitudine versaretur , modo solus degeret , modo cum hominibus , modo in honore , atque existimatione apud omnes esset , modo calumniis , contumeliisque impetratur , modo viribus corporis polleret , modo stomacho minime bono esset , aliisque morbis agitaretur , tanta est usus moderatione , atque constantia , ut neque de ulla re unquam questus fuerit , ita ut quomodo se haberet intelligi facile non posset , cum idem semper , siue simillimus esset , neque quidquam de quotidiano cultu , eaque vitae consuetudine , quam initio constituerat , detraxerit , nisi quod extrema aetate graves , obstinataeque agrotationes , infirmaque corporis habitudi-

tudo eum nonnihil de vietu , atque lectulo immutare coegerint .

XVI. At enim , quoniam supra demonstratum est , Lopesium jam inde a pueri coetus , atque consuetudinem hominum fugisse , abdidisseque se in silvestria , remotaque loca , res ipsa hortari videtur , ut doceamus , qua tandem ratione tantam sibi doctrinæ , prudentiaeque laudem comparaverit . Atque initio animadvertendum est , magno eum praeditum fuisse ingenii acumine , incredibilique memoria , ita ut eorum , quæ semel didicisset , numquam oblivisceretur . Magna præterea celeritate in libris legendis utebatur , quin eorum , quæ legisset memoria quidquam excideret . Ferunt namque , commentarios de rebus a S. Theretia gestis , qui justo volumine comprehendebantur , integros paucis horis evolvisse , tanta ingenii , atque memoria felicitate , ut sigillatim , quid toto suæ vitæ tempore illustris illa , castissimisque moribus virgo egreditur , quæque esset ejus doctrina , enarrare atque describere , cum se opportunitas offerebat , soleret . Quoniam vero neque li-

brorum copia abundabat, neque scholas, Magistrosque frequentaverat, numquam tantam eruditionis copiam consequi potuisset, nisi divinitus tot tamque præclaris disciplinis fuisset imbutus. Nam minime a ratione alienum videri debet iis, qui animadverterint, eum diu, noctuque cum doctrinarum omnium, facultatumque parente Deo agere consuesse, ex eo purissimo fonte hausisse rerum optimarum, maximarumque scientiam. Sed omnia hujus viri facta, atque dicta persequi longum esset. Non enim omnia describere, sed exprimere imaginem vitæ, atque consuetudinis Lopei constituiimus.

XVII. His igitur moribus cum vixisset, & IV. atque L. annos complexisset, multisque jam annis adversa valetudine laborasset, nactus est morbum, quem, extremum sibi futurum facile intellexit. Cujus rei causa Lossa contubernalis sui precibus induci nullo modo potuit, ut Medicos acciret, quoniam ipse medicinae peritus erat, metuebatque, ne medicamentorum vi morbus celerius augeretur.

tur. Is morbus originem habuit ex improviso frigore, quo mense Mayo adeo affectus, debilitatusque est, ut nihil praeter liquores quosdam, magno tamen cum stomacho deglutire posset. Post dies paucos dysenteria laborare cœpit, magnisque doloribus excruciali, quo tempore multa indicia fortitudinis, & patientiae dedit. Eorum autem, et si plurima sint in promptu, tamen quod breves esse studemus, illo, cuius est singularis a Francisco Lossa facta mentio, exemplò erimus contenti uno. Erat ea aetate Mexici Matrona nobilis in primis, uxor cujusdam Equitis Mexicanii corruptis, dissolutisque moribus. Namque alea continenter ludens tempus terere solebat, rem familiarem disperdere, liberiusque vagari, quam honestam feminam deceret. Qua perversa institutione vitae non sibi solum, sed aliis etiam Matronis erat pernicioса. Hujus enim exemplo, neque rei dare operam, neque maritis, ut matres familiias decet, obsequi volebant. Hac ut adivit, Lopesium magno in vita periculo versari, ad vicum S. Fidei proficiscitur,

ut

ut se , suaque omnia tanto viro commendaret , ejusque inopiam quoquomo-  
do levaret . Etsi enim sumptuosa erat ,  
tamen , ita ut sit ab iis , quæ quamvis  
genio indulgeant , Christianæ tamen pie-  
tatis officia omnino non negligunt , ad  
templum sæpe accedere , precum quam-  
dam seriem recitare , egenosque opera-  
aliquando , pecuniave juvare solebat . Ubi  
eo venit , initio Loffa aditum petenti da-  
re negavit . Sed cum illa insisteret , pro-  
mitteretque curaturam se , ne posthac talis  
esset , qualem cives sui antea cognos-  
cent , eum facile ad suam voluntatem  
perduxit . Casam ingrediens filio Loffam  
accusanti , quod aditum ad Lopesium  
intercludere conatus esset , tace , inquit ,  
nam id jure quidem , meritoque meo fe-  
cit . Ut vero Lopesium vidit , genua fle-  
xit , multisque verbis rogare etiam , at-  
que etiam hominem cœpit , ut Deo se  
commendatam habere vellet , obtineret  
que , ut sibi socia itineris , qua ad Pa-  
triam Beatorum itur , esset . Nam id sibi  
iter haec tenus ignotum fuisse , optareque  
vehementer se , ut idem aggrederetur .

Id

Id cum facile impetrasset , post non mul-  
to iisdem , quibus Lopesius conflictari  
in morbis , doloribusque affici cœpta , Me-  
xicum , atque ad proprias ædes , valetu-  
dinis curandæ caussa , revertit , ubi de  
æterna animæ magis , quam de corporis  
sanitate sollicita , quam antea duxisset vi-  
tam reprehendere , & Matronas , quibus  
amicitia conjuncta erat , hortari num-  
quam destitit , ut suum exemplum imita-  
rentur , & quam olim licentia , atque lux-  
us , eamdem tum modestia , continen-  
tia , virtutis sociam habere ne gravaren-  
tur . Tali modo cum dies aliquot vixis-  
set , plena fiducia æternae salutis conse-  
quendæ decepsit . Habita temporis ratio-  
ne , ex gestu , habitu ipso corporis , aliis-  
que signis , quæ in Lopesio animadverfa-  
sunt , intelligi facile potuit , visum optimo  
viro fuisse oblatum , quo sibi videre-  
tur , animam ejus Matronæ jam in Pa-  
triam Beatorum proficiscentem , mente ,  
uti promiserat , comitari . Voces præte-  
rea , quibus antequam illa moreretur ,  
præter suam consuetudinem , de vi mor-  
bi , deque dolorum , magnitudine leniter  
que-

querebatur ; suspicandi locum dederunt , eum peccata mulieris propriis doloribus expiaſſe , pro quibus pœnas Deo dare necesse erat . Hoc quoniam dignum singulari memoria viſum est , prætermittendum non existimavimus . Ceterum postremo hoc tempore multa egit summorum virorum exemplis facile comparanda . Cum autem magna constantia omnia valetudinis incommoda pertulisset , ſequit Euchariftiæ , extremaque unctionis mysteriis munivisset , xiiii . Kal . Augusti an . MDXCVI . sanctissime obiit , viſaque , ut ferunt , a plerisque ejus anima fuit cælitibus comitantibus abire in Patriam Beatorum . Ejus Corpus post mortem flexible remansit ita , ut etiam magnum undique odorem spiraret . Qui aderant , non lacrimis , non dolore , non molestia , sed neſcio qua lætitia , vultusque hilaritate perfundebantur . Elatum deinde , atque in templo illius vici , Mexicanani Archiepifco- pi iuſſu , reservataque alio , si res posceret , transferendi facultate , ſepultum fuit . Funus magna hominum frequentia , quum pro ſe quisque ſacras exuvias deofſculari ,

con-

contingere , rapere , ſin minus adſpicere conniteretur , curatum eſt .

XVIII . Multa post mortem prodigia facta , quæ illius sanctitatis , virtutisque singularis indicia maniſta eſſent . Eodem enim , quo vita functus eſt Lopelius , die , uxor Praefecti vico S . Fidei , cui brachium maxime dolebat , cum ſua illius manum prehendiflet , continuo liberata eſt . Post dies quatuor quinquennis puella , quæ magnis febribus , aliisque morbis laborabat , ita ut medici de ejus ſalute desperarent , quum partem vefis , qua Lopelius uſus fuerat , ſibi applicuiflet , ſubito quieti ſe dedit , atque ſana , valensque surrexit . Matrona quædam Mexicana ciuis , quæ tot capitis doloribus cruciabantur , ut domesti ci vererentur , ne in insaniam adigeretur , cum alteram vefis partem afflicto capiti applicuiflet , dolor omnino ceflavit . Puer annorum fere trium filius nobiliffimi Equitis Mexicanii , cum tam vehementi febri vexaretur , ut neque latem ſugere , neque dormire poſlet , tamen vefiū Lopelii ſanatus eſt . Simile quid Sacerdoti evenit , qui cum ex dentibus

F

tibus

tibus laboraret, ita ut jam tres noctes somnum capere nullo modo posset, vultusque omnis extumesceret, applicata sibi parte vestis Lopesii, extemplo cubitum ivit, levatusque omnino molestia est. Pari modo servus nescio cuius Equitis Mexicani quum subita apoplexi correptus, mente, sensuque privatus esset, a Matrona, qua forte fortuna tum aderat, veste Lopesii delata, eique applicata vires, nervosque corporis, animique recuperavit. In urbe, cui Angelorum est nomen, nobilis quedam, atque honesta, femina, cum febribus impediretur, ne pareret, jamque puer in utero mortuus esset, Johannes Vellerus, ex eorum Ordine, qui infirmis ministrant, particulam vestis Lopesii ejus collo apposuit, monuitque, ut fidenter sese illius precibus commendaret; quod cum illa religiose fecisset, divinitus tanto vitae periculo liberata est. Idem Vellerus eodem in oppido mulierem quamdam vehementi capitatis dolore afflictam, monitam prius, ut se Lopesio commendaret, vestis ipsius tactu momento temporis sanavit. Pari-

ratione in oppido Tlaxcala adolescens, qui ejus generis scabie, quæ lepra dicitur, laborabat, octavo, a quo deprecatore apud Deum uti cœperat Lopesio, die mundatus omnino est. Atque in vi co Hihulupa nobilis vir, qui jam sexdecim menses magnis renum doloribus adeo cruciabatur, ut vix, immo postremis viginti diebus ne vix quidem cubitum ire posset, quum Lopesium sibi patronum elegisset, feque totum in ejus fidem tradidisset, ejusque vestes apud se retinere cœpisset, sanitatem recuperavit. Est autem illud singulare, quod Deus Optimus Maximus in nosocomio S. Johannis Ulvæ Lopesio intercessore fecit. Erat in eo nosocomio adolescens, cui erat Idelfonsus nomen, qui sex annos lue venerea consumebatur, totque undique plagis, tumoribusque affectus erat, ut vivus putreficeretur. Quum a Medicis frustra opem, atque auxilium petisset, fratris monitu cœpit se Lopesio commendare, ejusque vestes suis vulneribus applicare, sicque brevi salutem est consequitus, nihilque tale postea paſsus. Hæc nos Histo-

ricorum more breviter , ut nostrum institutum postulabat, retulimus . Ceterum Sedis Apostolicæ , Romanique Pontificis erit judicare , docereque , quid de iis sentiendum sit . Interea hoc monemus Lopessi Canonizationis , ut vocant , causam apud Judices a Sede Apostolica datos agi , coque jam deductam esse , ut sperari possit , brevi beneficio BENEDICTI XIV. P. M. fore , ut publici ei honores decernantur (a) .

RE-

(a) " Tali honore dignum esse Lopessum , vir eruditissimus , Card. Aguirrius existimabat , qui Tom. 4. Concil. Hispaniæ edit. an. 1663. pag. 414. si habet : Mille titulis venerandus , & dignissimus ob excellentiam Sanctissima vita , ut ab Ecclesia , ejusque Summo Pontifice inter Santos solemnè ritu referatur juxta meritorum suorum magnitudinem . Sanctitatis fuit adeo sublimis , ut ab obitu Apostolorum usque modo , vix aliquid superioris in historia Ecclesiastica inveniatur . Hoc idem sere senserunt gravissimi Episcopi , Prelati , ac Doctorres , qui Virum Dei de visu , & alloquo agnoverunt , ut quemadmodum ille vivens exemplo , ac monitis suis plurimos traxit ad quoddam cœlestis vita genus , ita & post obitum &c.

RERUM GESTARUM  
A VENERABILI SERVO DEI  
GREGORIO LOPESSIO  
COMPENDIUM CARMINE EXPOSITUM .

**G**randia Lopessi , cui dives Iberia cunas ,  
Et tumulum America extremis donavit in oris ,  
Falsa cano . Sed que memoranda , insuetaque Terris  
Exhibet , ac Cælo primis spectacula ab annis  
Integra lufra duo nondum compleverat , hujus  
Pertæsus Mundi illecebras , Patriaque , domoque  
Clam se se eripiens , & opes , ac commoda spernens ,  
Navarra fines , Divo inflammatus Amore ,  
Impatiensque adit , atque Viro , quem fama canebat  
Sublimem meritis , inter loca inbospta , & altis  
Degentem in Sylvis , ac Cæli luce fruentem ,  
Se informandum tradit . Sex circiter annos  
Hic bumilem vitam , strepitu semotus ab omni ,  
Solaque prægustans Cœlestia gaudia mente ,  
Sorte sua contentus agit . Sed , Patre jubente ,  
In Patriam invitus revocatur , & inter Ephæbos ,  
Hispani Regis dare nomen cogitur , antra  
Urbis cum strepitu immutans , aulaque tumultu .  
Quam votis inimica suis foret Aula , probavit  
Exitus ; inde fugam primis nam cepit ab horis ,  
Et redditum in Sylvas meditari : Virginis ergo  
Præsidium implorat , dubiusque in rebus ab ipsa  
Consilium , lumenque rogat : Duce Virgine tandem  
Grande opus exequitur , quin illum cura Parentum ,  
Vanaque spes , splendorque Anæ remoretur euntem .  
Conscendit Navim , placidisque afflantibus auris ,  
Per-

ricorum more breviter , ut nostrum institutum postulabat, retulimus . Ceterum Sedis Apostolicæ , Romanique Pontificis erit judicare , docereque , quid de iis sentiendum sit . Interea hoc monemus Lopessii Canonizationis , ut vocant , causam apud Judices a Sede Apostolica datos agi , coque jam deductam esse , ut sperari possit , brevi beneficio BENEDICTI XIV. P. M. fore , ut publici ei honores decernantur (a) .

RE-

(a) " Tali honore dignum esse Lopessum , vir eruditissimus , Card. Aguirrius existimabat , qui Tom. 4. Concil. Hispaniæ edit. an. 1663. pag. 414. si habet : Mille titulis venerandus , & dignissimus ob excellentiam Sanctissima vita , ut ab Ecclesia , ejusque Summo Pontifice inter Santos solemnè ritu referatur juxta meritorum suorum magnitudinem . Sanctitatis fuit adeo sublimis , ut ab obitu Apostolorum usque modo , vix aliquid superioris in historia Ecclesiastica inveniatur . Hoc idem sere senserunt gravissimi Episcopi , Prelati , ac Doctorres , qui Virum Dei de visu , & alloquo agnoverunt , ut quemadmodum ille vivens exemplo , ac monitis suis plurimos traxit ad quoddam cœlestis vita genus , ita & post obitum &c.

RERUM GESTARUM  
A VENERABILI SERVO DEI  
GREGORIO LOPESSIO  
COMPENDIUM CARMINE EXPOSITUM .

**G**randia Lopessi , cui dives Iberia cunas ,  
Et tumulum America extremis donavit in oris ,  
Falsa cano . Sed que memoranda , insuetaque Terris  
Exhibet , ac Cælo primis spectacula ab annis  
Integra lufra duo nondum compleverat , hujus  
Pertæsus Mundi illecebras , Patriaque , domoque  
Clam se se eripiens , & opes , ac commoda spernens ,  
Navarra fines , Divo inflammatus Amore ,  
Impatiensque adit , atque Viro , quem fama canebat  
Sublimem meritis , inter loca inbospta , & altis  
Degentem in Sylvis , ac Cæli luce fruentem ,  
Se informandum tradit . Sex circiter annos  
Hic bumilem vitam , strepitu semotus ab omni ,  
Solaque prægustans Cœlestia gaudia mente ,  
Sorte sua contentus agit . Sed , Patre jubente ,  
In Patriam invitus revocatur , & inter Ephæbos ,  
Hispani Regis dare nomen cogitur , antra  
Urbis cum strepitu immutans , aulaque tumultu .  
Quam votis inimica suis foret Aula , probavit  
Exitus ; inde fugam primis nam cepit ab horis ,  
Et redditum in Sylvas meditari : Virginis ergo  
Præsidium implorat , dubiusque in rebus ab ipsa  
Consilium , lumenque rogat : Duce Virgine tandem  
Grande opus exequitur , quin illum cura Parentum ,  
Vanaque spes , splendorque Anæ remoretur euntem .  
Conscendit Navim , placidisque afflantibus auris ,  
Per-

Pergit in Americam: per agratis aequoris inde  
Immensi spatiis, vera Crucis attigit oras.  
Hic vestes, aurum, pretiosaque qualibet, una  
Contentus tunica, Divino & Codice, donat  
Catera Pauperibus; sic pondere liber ab omni  
Hujus Regna novi ingreditur vastissima Mandi.  
Hic septem prope lustra, cavis modo conditus antris;  
Nunc inter Populi strepitus, ac Oppida, & Urbes  
Angelican traxit vitam, paulumque moratus,  
Quae prima America reperitur, Mexici in Urbe,  
Chichimecos iter ad Populos meditatur, & explet:  
Est ea Gens truculenta, ferox, qua mitior esset  
Ursa, Leona, Tygris, formidandique Dracones;  
Tanta quibus rabies, ac indignatio, tantus  
Livor in Hispanos, ut, si quem forte viderent,  
Dentibus irruerent avidis, vivunque vorarent.  
Hos inter Populos Sylvis exceptus, & Antris  
Versatur plures Juvenis Sanctissimus annos,  
Et solo vivens contentus pane, cubanque  
In nuda prostratus humo, Cælestia semper  
Noctes, atque dies meditans, tot pondere caput  
Virtutis radios, ut quamvis effera, primum  
Gens ea mirari, sensim mansuescere, tandem  
Illi praefatio, paleit, & vimine textam  
Sylvestrem, tenuemque casam dum conderet, esse  
Debuerit: tanto excellens rapit impete Virtus  
Immanes etiam Populos, præclaras, sed ejus  
Amplaque facta, quibus Sylvas dudum explet, & Urbes,  
Innuo, non refero; siquidem distinguere verju  
Singula, que gerat intrepidus, que peccore fortis  
Sustineat, nostris labor impar viribus esset.  
Nunc ergo latet in Sylvis, animoque beatas  
Ad Cæli sedes assurgit; plena ferarum


An-

Antra modo fugiens, spatiatur in Urbibus, illum  
Seu vi consiliis, medica sive arte juvando.  
Huic exponendo nostra Mysteria legis,  
Seu loca Scripturae, quæ sunt minus obvia captu,  
Clare explanando. Vicinas, atque remotas,  
Sed volat America jam nuncia fama per Urbes,  
Atque novi extremis veniunt è partibus Orbis  
Certatim Populi, quibus est spes una videndi  
Insignem pietatis Viram; jam plausibus illum  
Excipiunt, pendentque ejus dicentis ab ore;  
Et quasi prodigium spectant; communis at bofis  
Sæpi etiam Populorum animos avertere tentans  
Plura vomit contra, insimulans erroris, & illum  
Heref eos damnans; sed videlicet denique virtus  
Clarior emergens palma majore triumphat.  
Ardua res esset, mibi si memorare labores  
Mens foret: informes quoties traducere noctes  
Debuerit: quoties sedare famemque, si timeque  
Exigua nec aqua, modico nec pane dabatur:  
Quot sepe erumnas, quot sepe incommoda, & acres  
Sustineat dudum constanti robore morbos:  
Quot loca, quot sylvas, prærupta quot antra, quot Urbes,  
Quot Populos adeat, quot ubique Augusta relinquat  
Semina virtutum. Sed merces, atque corona  
Denique iustitiae meritis reddenda: Beatas  
En felix anima ad Sedes, ac Numinis aulam  
More triumphantis pergit, dum flexile Corpus  
Interea remanens Cælestem spirat odorem.  
Continuo accurrunt Populi, vestesque, sacrasque  
Exuvias avidi rapiunt, quis plurima patrat  
Prodigia Omnipotens: contactu vestris ab acri  
Hic febri liber, capitisque doloribus ille,  
Alter apoplexi, lepra fætoribus alter,

IIIe

Ille lae Veneris , mortis discriminis plures .  
 At modo quid supereft , nisi quod , Sanctissime Princeps ,  
 E Petri Cathedra , morum , fideisque Magistra ,  
 Eximio Heroi meriti reddantur honores ,  
 Ac illum Sacras tandem veneremur ad aras ?  
 Votaque non unus , geminus tibi porrigit orbis :  
 America id supplex , supplex Hispania poscit .

Nadisti Mantinæ A.



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V. GRE-



VEN. GREGORII LOPESII  
 ANACHORETÆ  
 DEFENSIO ·

AUCTORE P. ARIA SOCIET. JESU THEOLOGO ,

Et eidem Lopesio intima familiaritate conjuncto


AB N. N. ORD. PRÆD. LATINE REDDITA.



Um ea , quæ de vita , morte , atque virtute Lopesii diximus , mira sint , atque singularia , vereor ne quis rei novitate commoveatur , propterea quod primo aspectu a Sanctorum virorum confuetudine aliena esse videantur , qui ea ratione veram , perfectamque sanctitatem consequuntur sunt , quam Christiani non modo suspicere , verum etiam imitari possent . Hi enim eum vitæ modum tenuerunt , qui & su-  
 G spi-

Ille lae Veneris , mortis discriminis plures .  
 At modo quid supereft , nisi quod , Sanctissime Princeps ,  
 E Petri Cathedra , morum , fideisque Magistra ,  
 Eximio Heroi meriti reddantur honores ,  
 Ac illum Sacras tandem veneremur ad aras ?  
 Votaque non unus , geminus tibi porrigit orbis :  
 America id supplex , supplex Hispania poscit .

Nadisti Mantinæ A.



DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

V. GRE-



VEN. GREGORII LOPESEII  
 ANACHORETÆ  
 DEFENSIO ·

AUCTORE P. ARIA SOCIET. JESU THEOLOGO,

Et eidem Lopesio intima familiaritate conjuncto

AB N. N. ORD. PRÆD. LATINE REDDITA.



Um ea , quæ de vita , morte , atque virtute Lopesii diximus , mira sint , atque singularia , vereor ne quis rei novitate commoveatur , propterea quod primo aspectu a Sanctorum virorum confuetudine aliena esse videantur , qui ea ratione veram , perfectamque sanctitatem consequuntur sunt , quam Christiani non modo suspicere , verum etiam imitari possent . Hi enim eum vitæ modum tenuerunt , qui & su-  
 G spi-

spicione omnino vacaret , & fragili hominum naturæ magis consentaneus esset . Quod iis minime accidit , qui nova quadam , atque inusitata vitæ ratione de eorum in suscepso instituto constantia-  
dant dubitandi locum , seque errori , at-  
que Demonis illusionibus , ac proinde peccandi periculo exponunt ; quorum-  
casus eo pernicioseiores sunt , quo ipsi ad altiorem sanctitatis gradum aspiraverint . Præterquamquod ejusmodi vivendi ratio-  
nes , cum parum sint in usu , paucis om-  
nino sunt exploratæ , atque ideo parum communi hominum bono , atque utili-  
tati conducere existinantur ; quum nihil commodi ex iis redundare in vulgus possit , nisi stupor quidam , atque admiratio , qua homines rebus novis , atque inauditis afficiuntur , quin tamen , quæ laudant , imitari audeant . Nam si quis auderet , verendum esset , ne ulterius pro-  
gredi non valeret , idque non sine er-  
randi formidine faceret , tum vel maxime , quum sibi recte agere persuasisset .

II. Ejusmodi fuisse Lopesii institutum non nemo est , qui sibi persuadeat , il-

lum in suspicionem vocando , ceu ho-  
minem , qui quum Ecclesiæ decretis pa-  
rum esset addictus , ea , quæ sibi place-  
rent , perinde ac divino esset instinctu admonitus , consecabantur . Sunt qui di-  
versimode existimantes magnopere res a Lopesio gestas laudant , eundemque , ut virum justum , & probum , in quo vir-  
tus divina revera eluceret , venerantur . Ego vero , et si non sim nescius , solum Deum in cælo , qui uniuscujusque actio-  
nes considerat , ac discernit , de iis re-  
bus sine erroris periculo judicare posse ,  
atque hujusmodi etiam privilegium san-  
ctam , atque universalem Ecclesiam Ro-  
manam , cuius in hac re judicium mini-  
me est deceptioni obnoxium , in terris ha-  
bere ; tamen non alienum a Christianæ ca-  
ritatis officio , quod etiam multis , magnis-  
que Lopesii in me beneficiis imprimis de-  
betur , esse arbitrari , ea , qua decet veritate ,  
quid de tanto viro , quo duodeviginti anno-  
rum spatio familiarissime sum usus , sen-  
tiam , proferre . Septem enim præsertim annos una ita viximus , ut fere numquam ab eo discederem , sed diligenter continen-  
ter

terque ejus vita modum observarem. Quod ut facerem, non amici modo monabant, sed etiam timor quidam, ne quid mali sub specie sanctitatis lateret, animum impellebat. Nihilominus tanta est veritatis vis, ut me compellat fateri, testarique Gregorium, meo quidem iudicio, magnum virum fuisse instinctu, afflatusque Dei veluti manuductum, optimisque moribus, atque solida singulari- que virtute praeditum. Quamvis vero ad hujus rei probationem viris doctis, atque animi ingenui satis esse arbitror, ejus vitam, quam descripsi, accurate evolvere, tamen non abs re esse existimavi nonnulla afferre rationum momenta, quibus res eadem omnino efficitur, ac demonstratur.

III. Atque initio peto ab iis, qui Gregorii institutum aut condemnant, aut saltem probare non audent, cui causæ tribuunt malum animum, quem in Lopessio suspicantur? Ignorantiae, an malitia, an subdolis Dæmonis artibus? Nihil enim aliud esse potest. Quamobrem si argumentis ostendero hæc omnia longe ab

ab illius moribus distasse, inde consequens erit, eum divino consilio ad Evangelicæ legis præscriptum vitam, moresque exegisse suos. Sed de ignorantia, quam opponunt, paucis agemus. Neminem enim fore arbitror, tam ineruditum, qui si cum Gregorio versatus fuerit, aut res ab eo gestas exploratas habuerit, eum ignorantiae accusare audeat. Omnes siquidem, qui hominem norant, sive docti, sive indocti, ejus ingenium, gravitatem, diligentiamque in rebus iudicandis; sacrarum litterarum peritiam, facilitatemque, atque doctrinam, quae de re quacumque ad vitam Christianam pertinente differebat; Christianorum dogmatum, historiæque tum sacrae, tum prophane cognitionem, omnium denique optimarum, maximarumque rerum scien- tiam vehementer admirabantur, maximeque illius confuetudine delectabantur. Accedit præterea, quod tanta doctrina, eos, qui ad se petitum consilium veniebant, quid agendum illis esset, si perfectam sanctitatem consequi optarent, docebat, ut nemo unquam Lopessi auctoritate dece-

ceptum se esse questus fuerit. Quamobrem earum rerum ignorantia, quæ ad salutem æternam consequendam, atque excellentiorem vitæ rationem sectandam, pertinent, Lopesio jure objici nullo modo potest.

IV. Quoniam vero de ignorantia dictum est, dicam nunc de malitia, quam opponunt adversarii, a qua æque, atque ab ignorantia distabat Lopesius. Quia enim de causa ipsos XXXIIII. annos, quibus in solitudine vixit, simulatione esse opus putavit? Namque nihil gravius pati poterat, quam humanos honores, atque laudes, a quibus magnopere abhorrebat, quasque ut vitaret, cœtus, atque consuetudinem hominum fugiens deserta silvestriaque loca petebat. Nihil laudis causa egit, sed illius vitanda potius res suas celare studebat. Quod si gloriae humanæ causa vitam solitariam exorsus esset, cur tanta costantia in eo vitæ genere omnis voluptatis experte, pleno autem incommodorum perseveravit? Cur integras quadragesimas pane solo semel quoque die vescens, & majori etiam dierum numero

solis herbis victans jejunavit? Cur nulla fere semper, vel injectis pellibus, cubavit humo? Cur adeo paupertatem amat, ut de victu, atque vestitu ne cogitaret quidem unquam, sed omnia a Deo immortali, cui se totum crediderat, expectaret? Quod si non laudis cupiditate, sed quoniam male de Fidei nostræ dogmatis sentiret, hæc omnia egisse dixerint; id qua ratione affirmari possit non video. Nullum enim afferre exemplum eorum poterunt, qui cum pernicioſa doctrina essent imbuti, neminem ad suas partes trahere stuperent, sed omnibus, ut in eo vitæ statu, ad quem a Deo Optimo Maximo vocabantur, perseverent, auctores essent. Id autem proprium erat Lopesii, qui nullos unquam habuit asseclas, nullos discipulos, omnes vero vehementer hortabatur, eisque oratione spiritus addebat, ut in suscepito, divino consilio, vitæ genere constantes essent. De Fidei nostræ decretis tanto ingenio, atque reverentia differebat, tantaque orationis vi mundanis, ut sacramenta Christianorum frequentarent, persuadebat, ut ne

ne in suspicionem quidem cadere possit, cum novas sectas, doctrinasque a Fide Catholica alienas invehere in Ecclesiam esse meditatum.

V. Restat, ut de malis Dæmonis artibus, quibus circumventum fuisse Lopesium nonnulli existimant, agamus. Sollet enim, inquiunt, vaserrimus hostis sub pietatis specie novas, atque inauditas vitæ rationes rudibus, & inlitteratis hominibus proponere, hacque ratione, postquam eorum animum ad suam voluntatem perduxerit, eos doctrinis non modo Evangelio parum consentaneis, verum etiam Fidei Orthodoxorum omnino contrariis imbuere; tum illis recte se ageare persuadere, nihilque sibi in ea vitæ institutione timendum esse, in qua magna animi tranquillitate fruerentur, tamque singularibus divinis illustrationibus auctos tese experirentur. Ex eorum genere fuisse Lopesium, qui a Dæmone deceptus illius fallacias, veluti divina consilia amplectebatur, adversarii arbitrantur. Et quoniam audivi, esse viros quosdam graves in primis, atque doctos, qui etsi

Gre-

Gregorium condemnare audeant, impetrare tamen abs eo nullo modo possum, ut ejus institutum laudent, idcirco validissima quædam proferam argumenta, quibus omnino efficitur, Gregorii institutum laude, commendationeque esse dignum, longeque a malis dæmonis artibus, ac fallaciis distasse. Ea autem breviter attingam, propterea quod mihi cum viris sapientibus, atque in hoc rerum genere exercitatis res est, qui facile eorum vim atque nervos percipere possunt. Quod cum facio animadvertisendum esse censeo, id unum dæmonem suis tergiversationibus eniti, atque contendere, ut hujusmodi homines a Deo omnis sanctitatis origine disjungat, ac eorum lapsu reliquos Christianos offendat. Primum vero constat, Lopesium jugi rerum divinarum contemplatione, ac omnium virtutum exercitatione perpetuum Deo adhaesisse, nullamque vel levem culpam in eo animadversam esse, quæ Proximos offendere posset. Quum tamen ii, qui a dæmone circumveniuntur turpissime labi soleant. 2. Humani generis hostis, cum cælitum per-

H

fo.

sonam ostentans, miseros homines illudit, eorum mentem tenebris involvere, pacemque animi conturbare in usu habet. At Lopesius quandiu vixit, mira animi tranquillitate functus est, quin unquam conturbari, ancesque hærente visus fuerit. 3. Libenter cum viris doctis, & religiosis, cum Monachis præsertim versabatur, ejusque sententiæ sacræ Litteris, Patrum traditionibus, Scholasticorum etiam opinionibus imprimis consentaneæ erant. 4. Ejus familiares magnos in morum innocentia, progressus fecerunt. Multi illius consilio scelerata, atque turpitudines detestati sunt. Multi excellentiorem vivendi rationem, sunt amplexi. Multi denique ipso ejus aspectu, vel ejusdem recordatione a sceleribus abstinebant. Erat enim modestus, gravis, simulque jucundus. 5. Nunquam multa sibi divinitus revelari, visa offerri, mentisque alienationes pati, in quibus ostentationis, atque superbiae virus latere potest, jactare consuevit. 6. Virtutes, quas morales vocant, acquirere, potissimum vero corpus in servitutem redigere, mentemque Deo subjecere diligenter semper studuit.

7. Num-

7. Numquam se ab adversariorum calumniis vindicare conatus est, aperte tamen, atque in oculis omnium suum institutum tenebat. 8. Summo studio divinum cultum propagare nitebatur, ac magnopere sibi Orthodoxorum Ecclesiæ, eorumque omnium, qui se illi commendabant, commoda, atque utilitates cordi erant. Hujus rei permulti testes esse possunt, qui illius beneficiis sunt ornati. 9. Numquam aliorum leges, atque instituta, dummodo a Christianorum decretis non discreparant, reprehendere auditus est. Nemini, quod constet, ut suum institutum amplectetur, persuasit, sed omnes in eo vita genere, quod suscepserant, sua auctoritate confirmabat. 10. Singulari fortitudine graves morbos, acerbos stomachi, laterisque dolores, & reliqua valetudinis incommoda, quibus continenter fere conflictabatur, ferebat. 11. Ut primum ad vitam solitariam, rerumque æternarum, contemplationem animum appulit, multis vigiliis, jejuniis, aliisque tormentorum generibus corpus, animumque macerare exorsus est. Atque quamvis singulari hu-

H 2

ma-

manitate eos, qui ad se veniebant, complecteretur, minime tamen aliquorum diceris, aut inurbanitate, sive re alia quamcumque, quæ ad salutem æternam non pertineret, commovebatur. Erat enim natura non truce, non rustica, sed hilari, urbanus, sibique semper constans. Numquam absentibus detrahere, numquam ira-fci virus est. Nam aliorum errata singulare studio excusare consuevit. De Christo Servatore, deque cælicolis omnibus magna religione agebat. Ecclesiæ dicto, ejusdemque Præsidum summa facilitate audiens erat. Sanctos viros, eos etiam, quibus honores ab Ecclesia recens erant decreti, magna veneratione colebat. Inutilem morositatem, atque odiosam adversabatur, simplicem veritatem, sinceramque agendi rationem amabat. Tanta constantia, tantaque vultus hilaritate semper fuit, ut vix communibus naturæ miseriis obnoxius videretur. Multi viri graves imprimis, atque religiosi, qui vel sua sponte, vel Mexicanorum Antistitis jussu in ejus mores, atque doctrinam diligenter inquisiverunt, omnes illius institutum vehementer pro-

barunt. Neque unquam apud sacrum Inquisitionis tribunal in suspicionem venit. Denique qui ita sentiunt, injurii divinæ providentiæ esse videntur; ad quam, uti Sanctæ Theresiæ divinitus ostensum est, pertinet curare, ne homines a dæmoniæ falsæ specie virtutis capti, diutius in errore permaneant, sed detecta fraude puniantur, ne alii eorum exemplo in præceps ruant, cuius rei multa & nostra, & ut veterum memoria extiterunt exempla. Præterea, si ut Christus servator præcepit, quemadmodum arbores, ita falsi a veris Prophetis, ex fructibus eorum distinguendi sunt, Gregorius nulli unquam offensioni, atque scandalo fuit, contra vero multis oratione, prece, atque doctrina persuasit, ut debellata dominatrice animi cupiditate juste, pie, casteque viveant. Quamobrem nulla est cauſa, cur Gregorium malis dæmonis artibus circumventum esse suspicemur.

VI. Sed videamus quid opponant ii, quibus Gregorii mores suspecti sunt. Hac enim ratione perfacile fieri potest, ut si quid obscuri hactenus fuit, id totum in opti-

optimo lumine collocetur. Ergo illi priorre loco hoc modo argumentantur. Non esse laudandum, inquiunt, virum rūdem, atque inlitteratum, qui societatem hominum fugiens in solitudinem sē conferat, novumque vitæ genus sine duce, sine magistro consecetur, seque errandi periculo exponat. Satius est enim unum aliquem Monachorum ordinem profiteri, ac litteris diligentem navare operam, quibus Christiano populo adjumento esse, atque divinum cultum longe, lateque disseminare possit.

VII. Altera, cui plurimum adversarii tribuunt, ratio ex eo petitur, quod Gregorius Sacra menta Ecclesiæ minime frequentaverit, sed vix semel in anno Corpus Christi sumperferit, quin tamen ante Pœnitentiæ sacramento sua peccata expiasset, quod ne extremo quidem vitæ tempore fecisse constat.

VIII. Neque *Indulgientiis*, ut vocant, neque aqua *lustrali*, neque aliis hujusmodi, quibus Christiani Ecclesiæ hortatus se a peccatis purgare student, uti consuevit.

IX. Illud quoque accedit, quod singulis diebus festis sacris mysteriis interse-  
fe, *Divinum*, ut vocant, *Officium*, aut  
*Rosarium B. V. Mariæ* recitare, reliquas  
que preces, quas Christiani pietatis caus-  
sa canere in usu habent, neglexerit. Ne-  
que cælitum imagines apud sē retinuerit.

X. Denique Gregorium adversarii in su-  
spicionem mala fidei vocant, propterea  
quod non jejunaret, nisi definito ab Eccle-  
sia tempore, neque flagellis, aut alio cru-  
ciatum genere corpus torqueret. Quibus  
rebus omnes, quibus publice honores adhi-  
bentur, ad tantam sanctitatem pervenerunt.  
Hæc sunt rationum momenta, quibus, ni  
fallor, moventur ii, qui Gregorii institu-  
tum reprehendunt, quibus ego confido fo-  
re ut abunde satisfaciām, si ea, qua decet,  
simplicitate, atque veritatis studio meas re-  
sponsiones expendere voluerint. Sit igitur.

XI. Ego vero et si vehementer repre-  
hendendos esse censeam eos, qui teme-  
re, ac propriis viribus consili novum,  
atque inusitatum vitæ genus amplectun-  
tur; nihil tamen simile a Gregorio fa-  
ctum esse contendō. Is enim non teme-

ritate , non humanis persuasionibus , sed instinctu , afflatusque divino ductus , in ea se loca contulit , ubi nihil esset , quod ejus mentem a contemplatione rerum divinarum avocaret ; cuius rei vel indicium esse potest singularis constantia , qua ipsos xxxiiii . annos ad mortem usque in sententia permansit , tanta animi tranquillitate , tantaque fiducia , ut eum non modo suscepisti consilii non poenituerit , sed ne dubitarit quidem umquam , utrum divina illud voluntate teneret . Quamobrem qui vitam solitariam in Gregorio reprehendunt , reprehendant necesse est Paulos , Antonios , Macarios , Arsenios , Hilariones , aliosque pene innumeros sanctissimos viros , qui in Ægypto , in utraque Thebaide , aliisque in locis tanta bonorum omnium confessione ejusmodi vita genus sequuntur , ut publici eis honores ab Ecclesia decreti sint , ac veluti exempla propositi , quæ non suspicere modo , verum etiam imitari Orthodoxi possint . Quamvis enim nullo unquam tempore defuerint , qui a Monachorum , atque Anachoretarum institutis abhorrent ,

rent , cum nulla res tam bona , tamque sancta sit , quam improbi , perditique homines non calumnientur ; eorum tamen accusations , conquestionesque ne audiendas quidem esse omnes boni arbitrantur . Qua in sententia magis , magis que D. Joannis Chrysostomi auctoritate confirmantur , qui tribus libris Monachorum adversarios egregie confutavit . De hoc eodem argumento singulari doctrina D. Hieronymus contra Vigilantium hæreticum egit . Cujus argumenta silentio prætero , quod mihi res sit , non cum Acatholicis , qui Monachos odio habent , sed cum Orthodoxis hominibus , qui quidquid Mater Ecclesia laudat probatque , summa veneratione prosequuntur . Ecclesia autem , et si una sit , atque unius Dei ductu gubernetur , multos complectitur vitae status , quorum varietate ejus majestas , quin minuatur , augetur potius , augustiorque sit . Nam quemadmodum fieri nullo modo potest , ut unus idemque homo omnes vitae status , qui Ecclesiæ probantur , sequatur , ita difficile est , eundem Monachorum ordinem omnibus arridere , qui ad illud vi-

tæ genus a Deo vocantur. Unde Apostolus dicit: *Divisiones gratiarum sunt; unus autem, & idem spiritus.* Et alibi: (1. ad Corinth. c. 7.) *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat.* Et David Propheta Psalm. 22. *Deduxit me super semitas justitiae.* Quo in loco animadvertis S. Bernardus, semitas justitiae variis vita status eorum, qui Deo serviunt, Prophetam appellasse, qui omnes unam, eamdemque rem, justitiae scilicet consequutionem respiciunt, quæ eadem regula est sanctitatis, atque æquitatis, quæque omnes Justorum vivendi rationes, quamvis inter se discrepantes comprehendit. Hæc doctrina nisi omnibus Orthodoxis explorata esset, nemo in Ecclesia tuto, atque quiete vivere posset. Nam qui unum aliud institutum profiteretur, reliqua, quæ a suo aliena cognosceret, contemnenda, esse putaret, verereturque, ne ipse eadem de causa aliis exosis esset. Quamobrem Apostolus Paulus Christianos hoc modo instruit. (Rom. 14.) *Is qui manducat, non manducantem non spernat; & qui non manducat, manducantem non judicet.*

Deus

*Deus enim illum assumpit. Tu quis es, qui judicas alienum servum?* Filius de-hac re agit S. Bernardus in celebri illa Apologia, quam contra Gulielmum Sancti Theodorici Abbatem scripsit. Cujus argumenta missa facio, ne res omnibus exploratas repetere videar. Tum etiam, quoniam satis, ni fallor, haec tenus demonstratum est, nullum extare præceptum, quo omnibus, ut eundem vitæ statum amplectantur, jubeatur; sed multa, esse vitæ genera, quibus homines divinam inire gratiam possunt; neque licere nos mortales infinitæ Dei sapientiæ quasi limites adsignare, cum illa infinitis modis nos ad suam voluntatem perducere studeat.

XII. Quamquam si serio vitæ modus, quem Gregorius tenuit, perpendatur, neque novus est, neque ita inusitatus, ut cuiquam admirationem afferre debeat. Eum enim innumeri pene Anachoretæ consecuti sunt, qui sine litteris, sine dulce, sine usu rerum, seu alio humano præsidio, sed solius Spiritus sancti instinctu, qui pueros aliquando, atque imperitos

sapientiores efficit, quam sint ipsi senes, sese in silvestria, remotaque loca abdiderunt. S. Paulus primus Anachoretarum nondum xvi. etatis annum compleverat, cum in solitudinem secessit. Apollonius Abbas, atque S. Hilarion xv. etatis anno idem consilium iniverunt. Quibus omnibus longe ante S. Johannes Baptista, qui quinquennis, vel septennis inaccessa loca adivit, exemplo fuit. Quare qui Johanni Prodromo, aliisque sanctissimis viris permultis tantam tribuit vim, atque virtutem, ut quamvis pueri, atque omni humano praesidio destituti, sese in officio continere possent; ille idem Gregorium in rebus omnibus, quae Anachoretarum sunt propriæ, nullo adhibito magistro instituere potuit. Neque vehemens Gregorii amor, quo erga Deum primum, tum erga homines ferebatur, iners, atque inutilis existimandus est. Illius enim notio, non in rerum externarum exercitatione, sed in sola voluntatis actione consistit. Quamquam quanti Proximos faceret Lopesius, multis indicis manifestavit. Nam eos, cum potuit, consilio, institutione, opere, si minus, preci-

cibus, atque commendatione apud Deum juvare magnopere semper studuit. Qui plura de Lopesii caritate desiderat, legat ejus Vitæ a me descriptæ XI. caput, (hæc vita nunc non extat) ubi multa ad hanc rem pertinentia referuntur.

XIII. Secundo loco Adversarii opponnunt, quod Gregorius raro ad Sacraenta Ecclesiæ accedere soleret. Quibus ita responsum esto. Do quidem, non ea assiduitate Sacraenta Ecclesiæ frequentasse, qua reliqui Christiani in urbibus degentes frequentare solent, quibus ut faciliora; sic etiam ut plurimum magis necessaria ejusmodi remedia sunt. At enim Ecclesia satis ad animam nutriendam esse existimavit, ut quilibet Christianus sive bonus, sive malus semel in anno Corpus Christi sumat. Atque ideo nullum extat sive Christi, qui Eucharistiae Sacramentum instituit, sive Ecclesiæ, quæ illius procurationem administrationemque habet, præceptum, quo Christiani plures in anno sese Eucharistia reficere jubeantur. Nam si viri religiosi, hi que præsertim, qui Monasticis Ordinibus sunt addicti, magna cum laude, utilitateque

sæpe sæpius juxta indigentiam, atque desiderium, quo afficiuntur, tanto beneficio uti solent, non ideo sunt impietatis condemnandi, vel a dæmone decepti existimandi, qui aliter sibi agendum arbitrantur, eo vel magis, si aliis modis Deus O. M. illis consulit, quibus augmenta virtutum in dies capere possint; cujusmodi sunt preces, rerum divinarum affidua, meditatio, poenitentia, carnis, animique cupiditatum repressio, rerum humanarum contemptus, caritatis erga Deum actus, aliaque hujus generis, quibus multi in gratia divina perseverarunt, quin Sacramentorum Ecclesiæ, nisi semel quoque anno, participes fierent. Quidam divina usi dispensatione, ne semel quidem in anno Eucharisticum panem sumperferunt. Hos autem nemo sæpe Eucharistiam percipientibus postponit. Paulus enim xcvi. annis, quibus in solitudine degit, numquaque se Eucharistico cibo refecit. Antonius, teste Athanasio in ejus vita xx. annos in sylvis commoratus est, Honuphrius ix. Johannes Anachoreta l. Apollonius, ut in vitis Patrum legitur, xl. Elias mo-

na-

nachus, ut in historia tripartita est, lxx. Arsenius teste Metaphraste l. Maria Ægyptia supra xi. Hi omnes, ceterique ejusdem instituti vix unquam Eucharistiæ sacramento sese munierunt. Sed quid horum exemplis opus est, ad hanc rem, quam volo? Gregorius enim non modo Ecclesiæ dicto de corpore Christi in die Paschatis sumendo audiens erat, verum etiam in diebus festis Nativitatis Domini, Pentecostes, utroque S. Michaelis Archangeli, S. Johannis, & SS. Petri, & Pauli, aliisque nonnullis Eucharistiam sumere confuevit. Non est ergo Lopesio vitio vertendum homini solitario, quod raro ad Sacramentum Eucharistiæ accederet, cum multi in urbibus commorantur, qui sine ullo honoris, atque existimationis suæ detimento vix tam sæpe Corpus Christi sumere solent.

XIV. Quod ad Sacramentum Poenitentiae attinet, non nego negotium omnibus facessere, Gregorium xxxiii. annorum spatio, ex quo in solitudinem secesserat, hexamologesim numquam fecisse, nihilque humani passum esse, tamen si res diligentius

ex-

expendatur, minime reprehensione digna videbitur. Certum est enim culpas leves, & graves etiam, quæ jam poenitentia deletæ sunt, non esse materiam necessariam sacramenti Pœnitentiæ. Nemini etiam mirum videri debet Gregorium xxxiii. annos, quibus in sylvis versatus est, graviter numquam peccasse; credere enim par est multos esse monachos, qui vel majori temporis intervallo, quamvis cum hominibus versentur, morum innocentiam, atque integritatem conservent. Quod ipsum privilegium concedi necesse est Lopeshio, qui solitarius vivens, solis rebus divinis dabant operam. Est autem communis omnium Theologorum sententia, quemlibet Christianum, qui gravibus peccatis minime est inquinatus, rite posse Corpus Christi sumere, sive ut Ecclesiæ mandato pareat, sive ut sibi satisfaciat, quin se antea Pœnitentiæ sacramento muniat. Quam sententiam, quoniam omnes Theologi probant, non est cur multis confirmandam mihi esse censem. Sed ulterius progreendiendum est. Quærunt enim adversarii, utrum Gregorius, ex quo in solitudinem fe-

fecessit, nec leviter unquam deliquerit. Quod si id sibi persuasit, mendacii seruum fecit, cum S. Johannes (Ep. i. c. i.) dicat: *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Cui sententiae similis est illa Prov. 14. *Septies in die cadit justus.* Christus ipse in oratione Dominica docuit nos quotidie nostrorum peccatorum veniam petere, propterea quod singulis diebus humani aliquid patimur. Temere ergo atque imprudenter agunt, qui Lopeshium ab omni vel levissimo peccato absolvunt. Nam Doctores sacri ne Apostolis quidem hoc privilegium concedere audent. Etsi enim præpotens Deus tanta auxilia mortalibus suppeditare possit, ut ne leviter quidem delinquant, numquam tamen cuiquam, si Mariam Virginem excipiamus, revera suppeditasse constat. Ex quo colligitur, Lopelium levia peccata parasse, quæ Pœnitentiæ sacramento saltem morti proximus expiare par erat.

XV. Huic argumento dupli modo responderi potest. Primo esse verisimile, Gregorium divino auxilio fultum ab an-

no 21. suæ ætatis ad mortem usque , ne leviter quidem delinquisse . Cujus rei etsi rara sint exempla , extant tamen nonnulla . Atque simile quidquam de Lopesio conjici potest , si ejus vitæ , atque confusitudinis ratio habeatur . Is enim 21. ut diximus , ætatis anno divino instinctu , atque S. Johannis Baptiste exemplo ductus in solitudinem se abdidit , ut non peccatum modo , sed peccandi etiam periculum vitaret . Id ipsum probant cum divinum illud lumen , quo continenter fruebatur , tum illius familiarium testimonium , qui nihil unquam minus caute a Lopesio factum se animadvertisse testantur . Qui enim fieri potuit , ut qui totis viribus , tantaque affiduitate erga Deum , atque erga homines singulari ferebatur caritate , in peccatum laberetur ? Quod innuere videtur sanctus Johannes (Epistol. 1. cap. 3.) illis verbis : *Qui manet in eo (in Christo scilicet) non peccat.* Et paullo post : *Omnis , qui natus est ex Deo , peccatum non facit , quoniam semen ipsius in eo manet , & non potest peccare , quoniam ex Deo natus est.* Compertum est autem , *nasci ex Deo ,*

*Deo , atque in eo manere nihil aliud est , nisi Deum omni conatu diligere ,* cum idem Apostolus dicat : *Qui manet in caritate , in Deo manet , & Deus in eo .* Ex quo loco facile colligitur , quid sibi velint illa Scripturarum loca , quæ justos homines sepe in aliquo offendere adversarii putant demonstrare . Loquuntur enim de eo , quod ut plurimum evenire solet , iis præsertim , qui ea , qua decet diligentia , peccandi periculum non fugiunt . Qui vero sibi semper metuunt , non est necesse septies in die peccare , sed hoc loquendi modo humanæ naturæ infirmitas declaratur , quæ facile in errorem , atque in malum labi solet . Quamobrem Deum rogamus quotidie , ut dimittat nobis debita nostra , non nova semper , atque recentia , sed præterita etiam , quæ nobis dimissa esse non constat . Nihi lominus si quisquam sibi persuadere nullo modo potest , Gregorium , ex quo in solitudinem venit , ne leviter quidem unquam delinquisse , illi ego magnopere non repugno . Id autem illum non animadvertisse contendeo . *Quod si dicant hu-*  
K 2 *jus-*

76

jusmodi ignorationem in homine , qui tanto divino lumine perfundebatur , esse non potuisse , id habeat responsi : majori lumine donatos fuisse David Propheten , atque Apostolum Paulum , quorum primus peccatorum absconditorum veniam petebat , alter et si nullius se peccati conscientiam diceret , non ideo tamen justum se esse existimabat , propterea quod Deum sibi judicem futurum sciebat . Pari modo Lopesius quum continenter res divinas animo verlaret , vix levissima sua errata cognoscet ; vel si cognovit , ea caritatis , atque oppositarum virtutum actibus , vitaque duritie expiare potuit , quod tamen ego non tam esse certum puto . Nam si quid abs se minus caute factum animadvertisset , illud exomologesi expiare curasset , neque *Confessario* celasset . Denique si conferendum exemplum est , petto , peccavit ne unquam leviter saltem Paulus primus Anachoretarum longo illo annorum spatio , quo in solitudine vixit ? si peccavit , cui peccata sua morti proximus confiteri potuit ? Jam vero non constat S. Mariam Ægyptiam xl. illis annis , qui-

quibus in silvis commorata est , exomologesim unquam fecisse , quamvis extremo tempore Corpus Christi a Zosimo sibi traditum sumpserit . Eadem ratio est de aliis quamplurimis , qui nihilosecias si laudantur , cur item laudandus non est Lopesius , qui saepe Paroccum , aut alium sacerdotem adire consueverat , ab eoque petere , ut sibi corpus Christi sumendi protestas fieret , quod nihil eorum recordaretur , quæ minus caute aliquando forte , fecisset ? Hac scilicet ratione cum debitam Ecclesiæ ministris obedientiam præstabat , tum cavebat , ne illi offenderentur , qui eum viderent ad Eucharistiam sumendam accedere , quin se antea Pœnitentia sacramento munivisset .

XVI. Tertio argumento respondeo , *Indulgientiarum* usum utilem quidem esse , atque commendatione dignum , non autem necessarium ad salutem percipiendum . Adeoque qui ad delictorum suorum veniam consequendam illis utitur , recte , optimeque agit , ut communiter docent Theologi . Nam et si Sotus olim in contrariam abierit opinionem , satius esse exi-

existimans propriis actionibus, quam *Indulgenciis* poenas peccatorum luere, mutavit tamen sententiam, animadvertisens conandum unicuique esse, ut quampri-  
mum fieri possit, sese, etiam aliorum  
meritis, ut sunt *Indulgencie*, a *Purgatoriis*  
poenis liberet, ut celerius Deum vi-  
dere queat. Nihilominus ex ea opinione  
colligitur, eum, qui nihil mali fecisse sibi  
conscius est, curatque pœnitentia, corpo-  
risque maceratione in hac vita Deo satisfa-  
cere, si quidquam mali, quod se lateat, ege-  
rit, *Indulgenciis* minime indigere. Quam-  
obrem Lopesius, qui xxxiii. annis ne leve  
quidem patrasse peccatum sibi conscius  
erat, continenterque perfectam sanctita-  
tem consequi, ac sensuum oblectamentis  
strenue semper resistere nitebatur, per-  
suadere sibi poterat, vix ulla se debere di-  
vinæ Justitiae peccatorum poenas dare, aut  
aut si deberet, vita integritate, atque du-  
ritie luere posse. Sed si nihil hujusmodi  
Gregorio in mentem venit, negari tam-  
en nequit, actum amoris erga Deum *Indulgentiarum* lucro esse præstantiore.  
Quare non est homini optima semper  
quæ-

quærenti, ac rerum divinarum contem-  
plationi affidue dedito vitio vertendum,  
quod *Indulgencias* lucrari minime studue-  
rit. At enim, qui Gregorium *Indulgencias*  
neglexisse ajunt, cogitare debent, cu-  
rasse hominem diligenter Pontificia di-  
plomata, quæ *Bullas S. Cruciatæ* appell-  
lant, sibi comparare; ea autem nullo il-  
li usui fuisse suspicari nequimus. Illud ve-  
risimilius, eo illum his *Bullis* usum esse  
modo, quo a Deo inspirabatur. Idem  
dicendum est de aqua lustrali, quæ pec-  
cata venialia delet, quorum vel nulla,  
vel admodum levia, atque exiguo nu-  
mero Lopesium patrasse demonstratum  
est. Eiusmodi tamen aqua, eti in pro-  
prio cubiculo non haberet, dum Eccle-  
siam, aut Jesuitarum, aliorumve domum  
ingrediebatur, uti consuevit. Sed de ter-  
tio arguento satis, ut arbitror, accu-  
rate dictum est.

XVII. Quarto loco opponunt Adversa-  
rii, Gregorium neque diebus festis sacris  
mysteriis interesse, neque sanctorum vi-  
rorum iconas apud se retinere, neque  
precum aliquam feriem recitare conſue-  
vif

visse. Quæ omnia longe a veritate distant. Semper enim diebus festis *Missa* sacrificio adesse consuevit, nisi vi morbi, aut enormi locorum distantia impeditetur. Quo in casu omnes Christiani excusantur. Præceptum enim hujusmodi, cum positivum, ut vocant, sit, non obligat, si grave adsit salutis periculum. Est autem res admiratione digna excusari milites, nautas, colonos, aliosque, si a suo munere, quod lucrandi causa exercent, *Missa* sacrificio adesse impedianter, non excusari tamen hominem, qui æternæ consequendæ salutis causa in locis silvestribus, atque remotis versetur. Sed non animadvertisunt, longe difficilius esse corporis, animique cupiditates, commotionesque reprimere, honores, dignitatesque contempnere, quam singulis hebdomadis *Missa* sacrificio interesse; adeoque qui illud faciunt, libenter & hoc postremum, si possent, facerent. Neque vero veterum Anachoretarum facta, quorum exemplo vita solitaria expendenda est, silentio præteriri possunt. Hi enim & Ecclesiæ auctoritate, & communī bonorum om-

omnium consensu beati, ac felices existimantur. Atque imprimis Johannes Anachoreta Ægypti, qui xl. annos in cœvea inclusus solus mansit, adfuitne *Missa* sacrificio singulis diebus festis? Evagrius in hist. Eccles. narrat, Simeonem monachum xlvi. annos diversis temporibus super quatuor columnas constitisse; in vitis PP. memorie traditum est, alterum monachum, Johannem nomine, vii. annos sub rupe, quin se unquam loco moveret stetisse; atque iis similes tot fortasse, quot Anachoretæ in solitudine extiterunt, qui teste S. Hieronymo, tanto erant numero, ut veluti examen apum in sylvis vagarentur. Nam quod ad Sanctorum iconas attinet, certum est, eas apud se retinuisse, atque non modo in proprio cubiculo, sed etiam, eo saltē, quo una viximus, tempore, in sacris Bibliis custodisse. (a) Quod

L ad-

(a) S. Joannes à Cruce lib. 3. Ascensus ad Montem Carmelum cap. 34. hac habet: Duabus ex causis Ecclesia instituit imaginum usum, ad Sanctorum nempe venerationem, & ad movendum voluntatem in bonum. . . . Persona igitur devota in invisibilibus præcipue devotionem suam collocat, paucisque imaginibus indiget, paucissimque utitur, neque in his conglutinat cor suum, nihil patitur, tametli ab illo auferuntur, quia vivam imaginem Christi Crucifixum querit semper intra se ipsam.

addunt de *Oratione vocali* verum est . At juxta sanioris mentis Theologos *Ora-  
tio mentalis* , ceteris paribus , *vocali* longe  
est prestantior. Utrique tamen anteponen-  
da est assidua illa rerum diuinarum con-  
templatio, qua continenter se se oblectabat  
Lopesius. Atque D. Thomas (2. 2. q. 83.  
ar. 12.) sic habet. *Duplex est oratio, com-  
munis & singularis. Communis quidem  
oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in  
persona totius populi fidelis Deo offer-  
tur . . . . Et ideo rationabiliter institu-  
tum est, ut ministri Ecclesiæ hujusmodi  
orationes etiam alta voce pronuntient, ut  
ad notitiam omnium possint pervenire . . . .*  
*Oratio vero singularis est, quæ offertur  
a singulari persona cuiuscumque, sive pro  
se, sive pro aliis orantibus, & de hujusmo-  
di orationis necessitate non est, quod sit  
vocalis.* Super quæ verba Cajetanus. Un-  
de patet, quod errant, qui numerum tot  
vocalium orationum propriarum explen-  
dum quotidie, præponant meditationibus,  
& mentalibus orationibus. Quid? quod  
Lopesius *Rosarium* , ut vocant, S. Mariæ  
Virginis, ei a Mexicanorum Antifite do-

no datum apud se retinuerit ? Hoc ego  
*Rosarium* Johanni Altamirano Equiti San-  
cti Jacobi dedi, ut socero suo in regno  
Peruano degenti mitteret.

XVIII. Ultima objectio eorum est, qui  
non modo Gregorii institutum non ha-  
bent perspectum, verum etiam virtutis,  
quam *mortificationem* appellant, naturam  
non intelligunt, neque veram, ac so-  
lidam ab apparenti mortificatione dis-  
tinguere valent . Eos enim potissimum  
hanc virtutem colere existimant, qui  
continenter jejunant, corpus flagellis, fer-  
reisque catenis macerant, nuda cubant  
humo, aliaque hujus generis faciunt, quæ  
etsi laude digna, & aliquando etiam ne-  
cessaria sint, veram tamen mortificatio-  
nis, atque sui ipsius abnegationis ideam  
non exprimunt . Alioquin homines infir-  
mi, & tenui valetudine numquam hanc  
virtutem, ac proinde perfectam sancti-  
tatem consequi possent . Sed hic error  
adeo est gravis, ut viris doctis in men-  
tem venire nullo modo queat, qui opti-  
me norunt, mortificationis naturam in eo  
positam esse, ut homo seipsum vince-

re, ac vehementiores sensuum affectiones comprimere possit. Quia in re maxime excelluit Lopesius, ut in ejus vita singulari capite demonstratum est. Nam si de vita severitate sermo est, nemo, ut ille tam parce, tamque duriter vixit. Qui solidis Quadragesimis pane, & aqua, aut solis herbis jejunavit; qui longo dierum numero frumento ustulato, live malis cydoniis, sive aliis silvestribus fructibus vitam sustentavit; qui initio in nuda humo, postea in pellibus, gravi vero ætate, atque infirma valetudine in culcitraparciissimum sumere somnum, flagellisque, atque catenulis ferreis corpus læpe lacerare consuevit. His tamen modis se se macerare, ut valetudini paululum serviret, cessavit Lopesius, probe sciens, quod Abbas Moses dictabat; jejunia scilicet, vigilias, atque alia hujusmodi, non ipsam perfectam sanctitatem, sed instrumenta quædam ad illam consequendam esse. Ita Sanctus Augustinus (apud Grat. in Decret.) docet, non esse observandum quid, aut quantum aliquis, prout illi opus est, manducet, sed qua

qua vultus hilaritate, quoque animo inopiam ferat, quaque ratione abstineat, dum est abstinendi tempus. Sapienter etiam Macarius Abbas animadvertisit, Monachos ita corpus affigere debere, ac si ad centum annos vitam protrahere necesse esset, ita vero animi commotionibus resistere, ac si unus tantum vitæ dies illis esset reliquus. Quia præclara sententia indicat, corpus moderate cruciari, animi vero cupiditatibus omni conatusisti oportere. Hanc sententiam semper præ oculis habuit Lopesius, qui initio omni cruciatuum genere corpus inservitutem redigere studuit; id ubi consequutus est, ut valetudinis rationem aliquam haberet, mitius secum agendum esse putavit, ni repentina sensuum motus, aut inopia, quam æquissimo ferebat animo, hominem, ut iterum duriter viveat cogerent.

XIX. Hæc ego dixi, ut Lopesium, seu potius ut veritatem ipsam, atque divinum, quo, mea sententia, regebatur, ducebaturque Lopesius, instinctum defenderem. Nisi enim ita mihi persuasissem,

sem; neque Lopesius, neque aliis quicquam extorquere a me potuisset, ut veritatem, quæ semper mihi erit carissima, desererem. Quamobrem confido fore, ut viri, qui animo a præjudiciis libero hanc meam, qualiscumque tandem sit, defensionem legerint, mihi potius, quam vanis aliquorum suspicitionibus, qui angusto humano intellectu Dei omnipotentiam metiri, eique limites ponere volunt, assensionem præbeant.



VEN.

## VENERABILI SERVO DEI GREGORIO LOPESIO

PRIMO IN INDIIS OCCIDENTALIBUS

A N A C H O R E T Æ

FR. THOMAS MARIA MAMACHIUS



I doctissimi, amplissima-  
que dignitate præstantes  
viri libros a se perscriptos corum, qui jam  
decesserant, & a quibus, dum viverent,  
multis, magnisque beneficiis aucti fuerant,  
\* memo-

sem; neque Lopesius, neque aliis quicquam extorquere a me potuisset, ut veritatem, quæ semper mihi erit carissima, desererem. Quamobrem confido fore, ut viri, qui animo a præjudiciis libero hanc meam, qualiscumque tandem sit, defensionem legerint, mihi potius, quam vanis aliquorum suspicitionibus, qui angusto humano intellectu Dei omnipotentiam metiri, eique limites ponere volunt, assensionem præbeant.



VEN.

# VENERABILI SERVO DEI GREGORIO LOPESIO

PRIMO IN INDIIS OCCIDENTALIBUS

ANACHORETÆ

FR. THOMAS MARIA MAMACHIUS



I doctissimi, amplissima-  
que dignitate præstantes  
viri libros a se perscriptos corum, qui jam  
decesserant, & a quibus, dum viverent,  
multis, magnisque beneficiis aucti fuerant,  
\* memo-

memoriae dedicando putarunt; verendum profecto mihi non erat, ne aliqui existarent, qui me reprehendendum existimarent, propterea quod TIBI, VENERABILIS SERVE DEI, volumen alterum ORIGINUM, & ANTIQUITATUM CHRISTIANARUM inscribere constituerim, ut qui multis nominibus me Tibi obstrictum, devinctumque perspicerem, esseque homines & pios, & Tui studiosos, quibus plurimum debebam, viderem, qui hoc ut agerem, non hortarentur modo; sed etiam flagitarent. Cum enim res egregie abs Te, præclareque gestas non sermone vulgi; sed oratione illorum imprimis celebrari intellectissim, qui docti, qui sapientes, qui æquii virtutis estimatores haberentur, & es- sent; atque in ea omnia, quæ de Te ipso a Tuis civibus, illustribusque scriptoribus aliarum gentium memoriae commendata fuerant, inquisissim; ac mihi vera esse persuasi- ssem; ita euidem sum affectus, ut singuli- lari in existimatione Te, magnoque in honore haberi oportere contenderem. Atque non mea solum, sed late longeque propaga- ta, plurimorumque sapientum virorum con- sen-

sensu firmata opinio, fecit, ut causam Tuam, defensionemque aliquando susciperem: ac deinceps multis indiciis, ipsoque exitu rerum perspicerem, & gratam fortasse Tibi meam operam, diligentiamque fuisse; & iis, qui me, uti pro Te ipso dicerem, impulerunt, neque inutilem, neque, ut arbitror, injuc- cundam. Quod si nihil umquam commodi, & utilitatis Tui causa percepisse, induxit me tamen virtus, integritas, castitas, atque innocentia morum, quibus Te in Eu- ropa, atque in America vixisse scimus; insig- nis præterea, tamque late patens, nulloque studio, ut ferunt, abs Te parta doctrina, amor denique in Deum, atque incredibile studium, quo in homines ceteros, imprimis que barbaros ferebare, quorum saluti, et si non sermone, prece nihilominus, & exemplo Tu prospicere curabas; ut cum de primor- diis, & incrementis Christianæ Religionis in omnibus Orbis Terrarum regionibus discep- ptarem, in Te unum mentem converterem, tuoque nomini volumen secundum hujuscem operis inscribendum censerem.

\* 2

neget

IV

neget, fuisse Te jam inde a puerō animo a rebus, quæ intercidant, ita alieno, ut missis divitiis, commodis, honoribus, quos Tibi polliceri patria videbatur, in solitudinem secesseris, ubi omni cura, studio, sollicitudine, quæ ad salutem ipsa per se minime conferret, solutus, cum Deo, cui Te ipsum credideras, quiq[ue] Te unice delectabat, colloquerere? Jam vero cum opera propinquorum, qui ægre ferebant, abs Te, in quo spem fortunarum, præsidiumque locaverant, se, rem suam familiarem, omnia, quæ ingenium, quæ virtus Tua, quæ Regis erga Te voluntas promitterent, contemtui haberi, coactus es domum repetere; quotusquisque eorum, qui Te cognoscerent, fuit, qui Te ipsum in aula, ut in templo quopiam summa cum religione versari non admiraretur? Nactus autem navim, atque opportunum in Americam navigandi tempus, ut Deo ductori assentire, clam Tuis in Mexicum profugisti, ubi rebus omnibus, ne iis quidem exceptis, quæ Tibi ex usu erant, dividitis, & pecunia, quam collegeras, egenis distributa, in extremitos Te ejus regni recessus abdidisti, ut

ne

V

ne quis reperiretur, qui mentem Tuam a contemplatione rerum aeternarum avocaret, & pacem, tranquillitatemque animi, qua gauderes, perturbare posset. Quo quidem in loco cum in Chichimecos Anthropophagos incidisses tantum oratione, prece, exemplo valuisti, ut illi suæ oblitii feritatis, non solum Tibi non obstiterint, sed adjutores etiam fuerint, ut tugurium, in quo versare, construeres. Qua re factum est, ut plerique omnes similem Te Magno Antonio fuisse arbitrarentur, quod ille feras, Tu barbaros, immanesque homines mites reddideris, & mansuetos. Quod si hoc vitæ genus, quod profitebare singulare cuiquam, minusque aptum, quod ceteris ad imitandum proponeretur, visum est; commendandum tamen, & litteris consignandum erat; ut aliis, si non exemplo (fusci) namque a nemine sine superiori instictu, afflatuque debet) admirationi saltem esset, multosque excitaret, ut in servis suis mirabilem esse Deum confiterentur. Jam vero in ea institutione, quam summa constantia ipsos triginta sex annos, quoad nempe vixisti,

sti, abs Te fuisse conservatam constat, et si erat aliquid, quod a communi magnorum, virtuteque excellentium hominum ratione, ac disciplina recedere videretur, inerant tamen perplura, quæ efficerent, ut mortales, qui tuum illud de fuga consilium, factumque admirarentur, iidem probitatem imitari possent. Nam si quis religionem, tuamque in fide servanda constantiam, suspicem, quam omnem in Deo, non in præmiis humanis posueras, si amorem, & caritatem, qua in summum illud, atque infinitum bonum imprimis, tum in homines ducebare, quaque siebat, ut nihil arduum, nihil grave, nihil laboriosum, nihil molestum esse judicares, si Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam, & alia animi Tui ornamenta consideret, næ ille facile intelliget, eo Te quoque nomine celebrari oportere, quod ita institutus, informatusque essem, ut non admiratores modo habere posses, sed etiam imitatores virtutis Tuæ. Ac si Anachoretarum veterum, Stylitarumque a Majoribus nostris oratione, scriptisque celebrata institutio est; propterea quod religionis, pietatis, virtutis-

que

que cultu, ac perseverantia in eo vitæ statu ostendissent, divinitus se ad asperam illam, & singularem vivendi rationem fuisse vocatos; futurum arbitror neminem, qui, cum animo res abs Te gestas collegerit, comprehendenteritque Tuam in suscepso consilio stabilem, firmamque constantiam, cui Anachoreticæ disciplinæ restitutorem non esse magnopere laudandum putet. Cum enim fidem fundamentum esse religionis, atque salutis plane cognosceres, iis decretis omnibus, quæ a Christo tradita Ecclesiæ fuerunt, ita assentiebare, ut quidvis perpeti malles, quam dubitare non dicam de dogmatibus (nam est id quidem commune omnium, qui se Catholicos esse gloriantur, ea ut credant) sed de iis quoque rebus, quæ ad disciplinam, rationemque loquendi spectarent, quæ Sedi Apostolicæ probaretur. Quinetiam erat hoc tibi consuetum, ut nullum diem præterire sineres, quo non caput aliquod sacrorum Bibliorum, quibus nostra & doctrina, & bene vivendi præcepta continentur legeres, ac diligenter mente versares, daresque operam, ut magis magisque in fide confirmareris, nihilque Te fu-

fugeret eorum , quæ agenda cuique essent ; qui Orthodoxam profiteretur religionem . Neque constans hæc Tua , perpetuaque in rebus religionis exercitatio continere se poterat , quin sese plerumque multis indiciis conspicuam ficeret . Modo enim verbis , modo habitu ipso corporis , modo aliis signis ostendebas de Deo Te cogitare , ei Te ipsum , resque tuas omnes offerre , ejus Te curæ committere , orare atque obsecrare , ut ejusdem voluntate res quæque ut in Cælo , ita quoque in Terris obsequerentur . Honorare inde Virginem Deiparam , salutare , invocare , Tibi ut adesset , Teque contra impetus hostium tueretur , venerari ejus imagines , quas apud Te retinere confueras , obtestari eam denique , ut suo Te Filio Redemptori generis humani commendatum habere vellet . Convertere Te deinceps ad Sanctos solebas , eisque atque ipsorum imaginibus honores adhibere , quos adhiberi jure posse Ecclesiæ perpetua traditione demonstraretur . Quæres cum ab iis , qui Te cognorunt , quiique Te cum de Te , de Tua vivendi ratione , deque studiis egerunt , memoriae proditæ sint , non est

est cur a quoquam revocari in controversiam posse videantur . Ac dici vix quidem a mortaliū quoquam potest , quam fuerit in Te virtus spei excellens , cum sic Te Dei curæ , providentiæque commississes , ut ejus misericordia fretus plane confideres , nihil umquam eorum , quæ ad Te pertinerent , Tibi Tuæque saluti , quam unam expetebas , conduceret , defuturum . De caritate autem in Deum , quid loquar ? quem cum semper præsentem contemplareris , sic affici consueveras , ut nullum fere temporis momentum excidere paterere , quo non Te in eo virtutis genere exerceceres . Itaque flagrabas amore Divinarum rerum , qui sane amor cum Te admirabilem in modum incenderet , in causa erat , cur altius Tuæ menti , quæ ad auctorem bonorum omnium attinent , imprimentur ; cetera vero , si quæ umquam fuerunt , & si quidem umquam , ea sane contigerunt perraro , ad quæ imbecillitate naturæ convertissæ cogitationem , vix leviter Te ipsum tangerent , ac ne vestigium quidem sui in animo Tuo relinquere viderentur . Quamobrem mirabile non erat , quod cum ad sacerdotem ac  
\*\*\* cede-

cederes, accedebas autem persæpe, ab eoque  
peteres, ut Tibi corporis Christi Servatoris  
sumendi facultatem daret; rogatus quidquam  
ne admisisses, quod minus recte abs Te  
actum putares nam erat ei compertum ne  
Sanctos quidem viros omni proflus culpa va-  
care solere nihil Tibi succurrere affirmares,  
quamvis conscius humanæ debilitatis, co-  
rumque memor, quæ ab Johanne in Priore  
Epistola scripta fuerant: Si DIXERIMUS QUO-  
NIAM PECCATUM NON HABEMUS, IPSI NOS SE-  
DUCIMUS, peccatorem Te esse confitereris. Ex  
qua re plane constat inter Te, & Catharinam  
Fliscam Genuensem matronam, sanctissimam  
feminam hoc interfuisse, quod Tu, qui jam  
inde a teneris, ut ajunt, unguiculis Te ipsum  
Deo consecraras, levissimarum, si quas con-  
traxeras, macularum, propterea quod arcti-  
sime summo bono conjunctus es, memori-  
am nullam haberes; illa ob eamdem cau-  
sam, ne eorum quidem piaculorum, in qua  
fortasse ante inciderat, quam vitam agere in-  
nocentem, perfectamque coepisset, reminisce-  
retur. Itaque ut scriptum de Te a Majoribus  
nostris fuit, sic traditum de Catharina est,

Deum

Deum solum spatio aliquot annorum illam  
habuisse ducem, dumque mors impenderet,  
muniri Sacramentis Eucharistiæ, extremæ-  
que unctionis petuisse, poenitentia vero non  
item, quod nihil ipsi corum veniret in men-  
tem, quæ cum ætas vigeret, minus aliquan-  
do caute fecisset. Atque is amor tam vehe-  
mens, quo arctissime Deo conjunctus eras,  
diffundebat se, efficiebatque, ut homi-  
nes, quanti eos, Dei ejusdem causa pende-  
res, quantaque caritate complectereris, co-  
gnoscerent. Namque, ut mittam de egenis  
dicere, quibus, ut modo animadvertis, largi-  
tus es quidquid apud Te rerum, & pecunia-  
rum erat; cuiusnam tanta orationis vis, tan-  
taque facultas, & copia est, ut eloqui pro di-  
gnitate possit, quam insigni in Nosocomiis  
erga miseros, qui adverba valetudine conflu-  
stantur, misericordia usus, quibusque labo-  
ribus perfunctus fueris, ut eos non solum  
consolereris, sed rebus etiam omnibus adju-  
vares? Erat scilicet plerisque omnibus, qui  
Te intuerentur, admirationi, cernere virum  
ditem olim fortunatum, e tanta familia, amo-  
re in Deum, atque in proximos incitatum,

\* \* 2

egen-

egentem, miserum, in summa rerum inopia versari, idque eniti, ac laborare, ut sibi omnia, nihil aliis decesset, quod ad vitam commode sustentandam conferret. Quid? si divino consilio in solitudinem revocatus, cum corporibus curandis dare operam absens nequires, tantum sermone, hortatu, & si opus erat, minis, ac redargutione valuisti, ut eos, qui scelesti, improbeque vivebant, induxeris ad virtutem, & pietatem collendam? Jam vero eos, qui fastu, luxuque perditu videbantur, cum Te etiam, atque etiam interdum rogassent, ut ipsos ad Te adduci patereris, confideresque fore, ut si eisdem, quod poscerent, negasses, ad sanitatem converterentur, sic eis ad Te aditum interclusisti, ut modo Te convenienter, se imperata facturos promitterent. Cumque fidem non fecellissent, obsecrassentque deinceps Te, ut post mortem Tuam eorum recordareris, ita eisdem gesisti morem, ut multis significationibus, qui superstites manferunt, intellecterint, Te quod pollicitus fueras servasse, Tuisque jam precibus, ut est credibile, impetrasse, ut mortem, qualis homines

Chri-

Christianos decebat, obirent. In administrandis autem Tuis, aliorumque rebus, qui ad Te petitum consilium accedere solerent, nonne ita Te continebas, ut uno ore omnes laudarent, admirarenturque Tuam singularem prudentiam? Quodsi fuerunt nonnulli, quos tamen per paucos fuisse intelligo, qui facta quedam Tua, dictaque reprehendi oportere dicerent, hi certe aut investiganda veritatis caussa dixerunt, aut non animadverterunt, quæ peculiari afflatus, instinctuque Dei ab optimis hominibus fiunt, ea interdum nobis, vel incaute, vel temere fieri videri, cum ingenia nostra, quæ velut angustiis, limitibusque contineantur, non modo non assequi INSCRUTABILIA SAPIENTIAE DIVINÆ JUDICIA, sed ne suspicari quidem possint. Jejunia vero, vigilias, ceteraque omnia, quibus corpus in SERVITUTEM REDIGERE studebas, quæque ad temperantie virtutem pertinent, incredibili quadam cura, ac diligentia fuisse abs Te observata, qui neget, arbitror equidem futurum neminem. Quo in genere eo laudandus es magis, quod sic Te crucias, ut reprimere cupiditates, si quæ orirentur pos-

posses, non opprimendum corpus judicares; ne, si oneri cederet, ineptum ad ea, quæ velles perficienda redderetur. Age vero, de fortitudine, constantiaque animi Tui, quid dicam, qua ne voluntati Dei, qui Te ducebatur, resisteres, nihil veritus pericula, in quæ Te ipsum conjicere videbaris, collegisti Te, atque sic tecum constitueristi: transiundum vastissimum mare, abeundum in Americam, ad ea loca penetrandum, quæ a trucibus, ferisque hominibus incolerentur, cumque tempus monuisset, alio migrandum, curandumque, ut inde sive plueret, sive æstus ferveret, in Templum statim diebus contenderes, divinisque mysteriis interesses, quin iis auscultares, qui aut modum faciendum, aut in urbem redeundum arbitrarentur? De justitia nihil attinet dicere, quæ adeo Tibi cordi fuit, ut ne ii quidem inficiarentur, qui (ita ut sit, ubi) quicquam in aliquo genere oritur excellens, ut sint, qui non nihil in ipso inveniant, quod esse reprehendendum putent) Tuam vivendi rationem non solum non probarent quandoque, sed etiam carnere auderent. Quid? ea virtus, quæ inve-

cta

cta in mundum a Christo est, & quam appellamus humilitatem, annon adeo Tibi fuit peculiaris, ut Te, resque Tuas omnes nihil penderes, molesteque ferres quidquid de Te ab iis, qui Te ipsum cognosserent, aliqua cum laude Tua dici consueisset? Prætermitto reliqua etsi majora fortasse, ne longior sim, quam postulare ratio videatur. Sed præterire tacitus nullo modo possum, quod est de doctrina, atque eruditione Tua, quæ sane tanta fuit, ut qui Te ne primis quidem grammaticæ artis elementis dedisse operam certo scirent, non solum mirarentur, sed etiam iis anteponendum censerent, qui cum acutissimis, præstantissimisque ingeniosis valuerint, ætatem contriverunt in colendis studiis litterarum. Itaque Cardinalis Aguirrius, & Jacobus Benignus Bossuetius, quorum alter Hispaniæ, alter Galliæ illustre decus, atque ornamentum fuit, & in iis Te, qui castæ, integre, sancteque vixissent, & ob egregios libros, qui perscripti abs Te fuissent, imprimisque ob Commentarios in Apocalipsin\*, qui pleni sunt rerum optimarum,

\* In Apocal. n. x. pag. 24, edit. an. 1689., C'est à quoi avoit travaillé, ce Saint Homme Gregoire Lopez une des merveilles de nos Jours.

rum ; in litteratissimis viris numerandum existimaruunt . Ac Bosuetius quidem , cum opus Tuò simile pararet , Te unum omnium maxime delegit , quem velut exemplar imitaretur . Cum igitur hæc tanta de Te magnorum virorum , qui Te norant , Tuosque libros perlegerant , tot rebus abs Te ipso præclare gestis firmata opinio fuerit , erit sane , cur jure sperare quicunque nostrum possit , fore , ut qui Te in Beatorum numerum referri postulant , iudem BENEDICTO XIV . Pontifice , cuius cum in ceteris facultatibus singularis , tum in hac , quæ est de Ritibus summa doctrina , atque eruditio est , voti compotes , Te aliquando more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerentur . Nam si qua est , Tua ista est cauſa ſcilicet , digna ingenio , ſapientia , doctrina Pontificis , qui non ſuperavit modo virorum , qui noſtra memoria doctissimi judicarentur ; ſed etiam , ſin minus ſuperavit , æquavit ſaltem gloriam ſuperiorum . Atque id ſane mihi optatum maxime eſt , modo & laudi Deo Optimo Maximo , & utilitati Ecclesiæ eſſe poſſit .

## ERRATA

- P** Ag. 24. lin. 17. exemologesim  
 Pag. 57. lin. 1. audeant  
 lin. 2. abs eo  
 Pag. 69. lin. 5. hæc vita nunc non extat  
 lin. 9. sacramenta Ecclesiæ !  
 Pag. 71. lin. 24. hexomologesim  
 Pag. 76. lin. 3. habeat

## CORRIGE

- exomologesim  
 non audeant  
 ab ſe  
 quæ vita adhuc ex-  
 tat  
 sacramenta Eccle-  
 ſie percipienda  
 exomologeum  
 habeant



UAN

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO  
LEÓN  
COLECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECA